

# DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

**S T R U M A,**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRÆSIDIS ET  
DIRECTORIS, SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI,  
NEC NON CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM, PRO  
GRADU MEDICINAE DOCTORIS RITE CAPESSENDO, IN ALMA  
AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE  
PESTINENSI,

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**JOSEPHUS BELLONY**

MUNGARUS TRENCHINO-BITSENSIS,

DOCTOR CHIRURGIAE.

Theses in adnexas disputabitur in Universitatis Palatio ma-  
iori die      Maii anni 1836.

---

BUDAE

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

Kein gerechterer Beurtheiler fremden Verdienstes, als der philosophische Kopf. Scharfsichtig und erfinderisch genug, um jede Thätigkeit zu nutzen, ist er auch billig genug, den Urheber auch der kleinsten zu ehren.

*Schiller.*

Non aequè perfectum; ac arduum primum solet esse opus.  
Perfectum namque iterato dumtaxat conditur exercitio.

SEINEM  
BESTEN UND THEUERSTEN  
V A T E R  
M A R T I N B E L L O N Y,  
EBEN SO DER  
EHRWÜRDIGEN ASCHE SEINES UNVERGESSLICHEN  
O H E I M S  
P A U L B E L L O N Y,  
WIDMET DIESE BLAETTER  
ZUM PFANDE  
DER  
UNBEGRAENZTEN LIEBE  
UND  
DANKBARKEIT

DER VERFASSER.

*Schätzbarster und Geliebtester  
Vater !*

**D**ie Menge von Wohlthaten, mit denen ich von Ihrer, und Ihres schon in die Ewigkeit berufenen Bruders Paul Liebe, Mildthätigkeit und Freygebigkeit überhäuft wurde, welche ich niemahls ohne besondere Rührung des Gemüthes erwägen kann, drangelt viel tiefer in mein Gedächtniss, als, dass es mir, jenè mit Stillschweigen zu übergehen, und selbe der Vergessenheit zu überliefern möglich wäre. Nichts schien mir deshalb immer billiger zu seyn , als mit heiligem Ernste nachzusinnen, wie und womit ich ein Denkmahl aufstellen könnte, das meine ungeheuchelte Erkenntlichkeit, innige Hochachtung und Verehrung genügend bezeugen sollte.

Felsenhart müsste auch jetzt mein Herz und eiskalt mein Gemüth seyn, wenn ich einem schmähhlichen und verächtlichen Undanke vorzubauen, ihn abzulenken und abzurütteln säumen möchte. Wie dürfte ich aber dies auch un-

terlassen! da manche Gönner der verliehenen geringen Spenden wegen mit allerart Lob- und Dankliedern von ihren Schutzgenossen gerühmt, gepriesen, ja oft bis an die Wolken erhoben werden. Darf ich nicht im Gegentheile dann mich um so gerechter aufgefordert fühlen, Ihnen gleichwie des Oheims nie g<sup>e</sup>nug zu beweinedem Ueberreste mit viel rühmlicheren Lobeserhebungen zuvorkommen? Sollte ich Sie dann nicht mit desto mehr glänzenden und ansehnlichen Ehrenzeichen schmücken? Ich fände dann vielmehr nicht genug rechte und hinreichende Ausdrücke, wenn ich die genossenen vielfältigen Vortheile; so wie meine Gefühle in ihrer ganzen Würde mit meiner Dankrede umfassen wollte.

Denn nur Sie und Ihr schon verschiedener Bruder hat'n sich am meisten von meinem frühesten Alter an mir ein besseres Geschick zu

gründen bestrebet. Niemand reichte mir öfters seine Hand in misslicher Lage mit Wohlwollen, als Sie. Wessen Arm deckte und schützte mich im gleichen Maasse, wie der Ihrige? Nur von Ihrer Gutthätigkeit wurde mir vergönnet die das Gemüth sanft erwärmende und stärkende, den Geist beleuchtende, die Gefühle veredelnde, und einen kräftigen Trost einflössende Strahlen der Naturkenntnisse so viel, als die Kräfte vermochten einzusaugen. Dadurch gewann ich zugleich die Gelegenheit das Leben, so weit es die Umstände zuliessen, allseitig zu erforschen, auf diese Weise das gleich wundervolle, als schöne Gewebe, die bewunderungswürdige Ordnung; so wie die süsse, liebenswürdige, meist erquickende Harmonie der zauberischen und heiligen Natur einigermaßen zu fühlen, und diesem wahrhaft mütterlichen Winke zu folgen. Ihre Güte war es auch, die mir zu dem edelsten und nütz-

lichsten Berufe: die Leiden der Menschen nicht nur zu lindern; sondern wo möglich zu heben, und somit das wohlthätigste Opfer der Menschheit darzureichen, den nöthigen Beystand geleistet hatte. Kurz Sie allein traten stets gutwillig und huldreich, zur Ueberwindung aller Mühseligkeiten und Schwierigkeiten, mit reichlichen Hülfsmitteln an meine Seite, und Sie allein waren nur des Hülflosen ununterbrochene Stütze.

Was konnte mir also nach so viel ertheilten Gaben Anderes wiederfahren, wobei mein Inneres mit einem süßeren Vergnügen und innigerer Freude würde überschwemmt seyn, als bei dieser Gelegenheit! Welche indem sie mir die gegenwärtige Frucht meines Fleisses und meiner Bemühungen mit Ihrem sowohl, wie auch des Oheims Nahmen zu zieren, und solche Ihnen nichtweniger, wie dem schon ewig ruhenden

den, den Würdigsten nämlich dieser Ehre, zu zueignen gestattet; zugleich ein Zeichen meiner dankbarsten Gesinnungen öffentlich sehen zu lassen erlaubet.

Nehmen Sie daher nun Schätzbarster diesen geringen Beweis meines innigsten und zärtlichsten Dankgefühles indess, bis die Götter mein Schicksal anders gelenkt, und besseres werden gewährt haben, mit geneigtem Gemüthe, und Ihrer gewöhnlichen Huld auf! Der obwohl nicht so bedeutend sey, wie ihn Ihre mir erwiesene Gewogenheit verdient hätte; und obschon derselbe weder durch Glanz, noch Werth sich so auszeichnet, dass er Ihres Beifall's und ihrer Zufriedenheit völlig würdig wäre; nichts destoweniger vermag er immer das lebendige Gepräge dessen, womit mein Herz überfüllt ist darzustellen.



e -

Ubrigens der heisse Wunsch : dass die Allmacht Sie Würdigsten mit allseitigem Glücke stützen , und Ihren Lebenskelch mit den süssesten Freudentropfen füllen möge , dass sie endlich jede finstere Wolke , die Ihren Lebenshorizont zu betrüben , und Ihren Lebensgenuss zu verbittern drohen würde weit entferne , damit die Quelle Ihrer Heiterkeit , und Zufriedenheit nie versiegen könne , wird sich ohne Unterlass zum Himmel aus dem Herzen ,

Ihres

Sie innigst liebenden Sohnes  
emporschwingen.

## Prooemion.

**T**ot, et tam eximia iam exstant a celeberrimis ingeniis, quemadmodum super omni alio Medicinae ramo; sic et super struma exarata opera, ut ingressu mihi ad coetum medicorum vix patefacto, viribusque me longe adhuc inferiorem sentiendo fulgorem eorum meam non consecuturam opellam plene persuasus, explanando alicui medico themati necdum operam admovissem; ni normae academicae, unicuique, qui Doctoris medicinae gradum adsciscere cupit, ex ampla scientiarum medicarum sphaera desumpti cuiuspiam obiecti elucubrationem in lucem publicam edere iubenti, conformiter agere adniterer.

Fini igitur hui<sup>c</sup> satisfactorius non minus vitae humanae iniquum; ac foedum venustatis pervestigandum selegi hostem. Qui, quod endemice in pluribus orbis nostri locis, ne dulci nostra quidem patria exempta, diffusus, non modo vitae amoenitatem, serenitatemque deleteriis, densisque [interturbet nebulis; verum ipsi quoque existentiae hominum nefaria sua indole lethales

struere insidias non deficiat; nostram omnino sibi meretur adtentionem. Tametsi autem huic penitus adumbrando mihi defuerint facultates; eum tamen non implicare, et quae circa illum meliores habentur notiones recto proponere ordine, vitiosas vero refellere studium impendi.

Ceterum paulum arctos modo, qui in limine praxeos medicae premere solent, experientiae limites, tenues item meas vires respiciendo, nec non ceterarum difficultatum, quibus ipse forsitan, ut collega premebaris probe memor, congruum his quaeso ferre velis lector benevole iudicium. Sique saniora quaedam noveris, iis me benigne informare non negligas, ardenti huius teneor desiderio, teque exoro; si non, haec te, ubi volueris, una mecum iuvabunt. Vale, et fave.

*Dabam Pestini 23 Calendas Aprilis, anno 1836. 1*

---

## Definitio, et Nomenclatura.

### §. I.

**E**x abnormi vegetationis processu enatum, texturam in parenchymate glandulae thyreoideae penitus immutatam sibi iungens, atque chronico adstrictum decursui normale exsuperans glandulae thyreoideae volumen Strumam constituit. Quae Germanis *der Kropf*, Hungaris *Gelyva*, *Golyva*, *Talgyú*, Slavis *Vole*, Serbis *Guscha*, Italis *il Gozzo*, Gallis *le Goitre*, Anglis *Crop*, *Gorge* nomine venit.

Plures post Celsum utpote: Heister, Unzer, Sauvages, Cullen, Wichmann, Cooper, aliique nomine strumae scrophulas describunt; struma vero ab iis termino *Tracheocelle*, *Bronchocele* a J. P. Frank *Thyreophymate* designatur. Interim nomenclationem hanc intricare rem, errorisque fomitem alere quisque facile adsentiet; ubi ei mox inferius, quid *Bronchocele* sit inclaruerit, quive indolem scrophularum a struma multum divergere mente penetraverit. Quo prae oculis versante, idque serie librantibus iuste semper degerit in animo antelatis strumam salutare terminis.

## P a t h o g n o s i s.

§. 2. In exordio strumae comparet in antica colli superficie tumor exiguus, modo mediam modo alterutram lateralem partem, vel, quod frequentius contingit, totam comprehendens glandulae thyreoideae substantiam. Qui lento quidem passu increscit; hoc tamen non obstat, quominus lapsu temporis interdum portentum adquirat volumen. Quo inferiora tendens umbilicum, imo genua ipsa in situ pendulo attingit. Dum autem latera, vel superiora versus mole adaugetur maxillam inferiorem, processus mastoideos, nucham, nec non scapulam usque protenditur. In cuti, qua tumor obvelatur, initio demta sua ampliore extensione nullae cernuntur mutationes. Vasa ejus in tumore tantum diutino varicosam adipiscuntur indolem, colorque post longius nonnisi temporis intervallum in cupreum, vel nigrescenti — rufum vertitur. Tumor est plerumque doloris expers, mollis, spongiosus, vestigium factae a digito impressionis non relinquens, et ubi maius ceperit incrementum sub adtactu elasticus, magis minusve durus, inaequalis, basi sua passim mobilis evadit, portiones textu molliore discretas exploranti offert manui, motibusque Laryngis sub tussi, loquela, deglutitione ciendis plus minusve obsequitur.

§. 3. Saepe praeter glandulae thyreoideae mutationem, maiorem colli crassitiam, vocis alienationem, et, quod inter eundem nonnihil operosum fit, respirium nullus alter seu organisationis, seu processus vitalis modus a norma sua per strumam deflectit. Longe saepius tamen, si tumoris massa iusto maiorem consequatur circumferentiam, plurimum vitae insidiabitur. Fit enim, ut profunde in collum penetret, quo facto tracheam, bronchos ipsosque pulmones premendo, et irritando tussim, Dyspnoeam, nec non suffocationem, vel oesophago, vasis colli imprimis arteriis carotidibus venisque

ingularibus fortius incumbendo dysphagiam, cephalaeam, vertiginem, imo apoplexiam inducit.

§. 4. Struma, ut solet, segni decurrit pede. Attamen influxibus quibusdam internis uti: constitutione lymphatica, graviditate, anomaliis catameniorum eius promovetur evolutio. Non minus quoque externis potentiis decursus eius modificatur. Etenim post repetitam D. Fodéré aliorumque animadversionem nulli amplius subiacet dubio evolutionem strumae in atmosphaera sicca, et simul gelida refrenari; e contrario vero calida, et humida exaltari, huicque vicissitudini endemicas magis, ac sporadicis patere.

§. 5. Conformatio strumae varium praesefert modum. Sunt, qui in illa iam singulos lobulos glandulae thyreoideae ab invicem magis dumtaxat seiunctos, iam cellulas folliculos coecos sistentes, et massa flava, brunescente vel nigrescente albuminosa, vel gelatinosa, aut mucosa, sive purulenta refertos offenderint. Dum aliis pars solum, vel, quod saepius, tota glandulae thyreoideae textura nunc scirrhosam, alias sarcomatosam, vel fungosam, aut stentomaticam exhibuit indolem. Est etiam, ubi sabulosa, cartilaginosa, vel fibrosa, vel terrea, osseaque concrementa, aut grumi sanguinis, rarius vermes interiora strumarum explent. Arteriae perinde; ac venae in cunctis ampliantur strumis, eumque interdum in modum; ut absente omni pseudoproducto, cellulosisve parenchymatis luxuriatione enorme suum glandula thyreoidea volumen, enormi vasorum suorum amplitudini in acceptum referat.

### *Strumae Species.*

§. 6. Illae strumae species, quae variae, quam ipsum parenchyma glandulosum patitur, mutationi innituntur eo, quod in vivo corpore facilius discernantur, atque prognosim cum

therapia plurimum determinant, practica u'ilitate cunctas alias superant. Etenim reliquae morbi obversantis conformationes exanimi nisi corpore acie cognosci queunt; nec ullam, etsi suam vita adhuc consistente nobis reuelent effigiem; in prognosim aut therapiam faciunt impressionem. Hoc pacto anteriores prae reliquis hic merito adoptari, ex rei natura sua pte liquet. Quocirca et cur entia sine necessitate augere, ac supervacaneis differentiis terminisque onerare scientiam? —

Sequentes autem habentur e prius commemorato principio desumptae strumae species :

1. *Struma lymphatica*. Omnium frequentissima, eam refert strumae conditionem, quae materiem coloris in variis individuis et pro diverso durationis evolutionisque gradu varii, sordidam, consistentiae iam viscidae, iam mucosae, vel unguinosae in suis morbose formatis recondit folliculis. Quae sub contrectatione mollem, elasticam tuberosam, et inaequalem suam exhibet substantiam, quaeve praegrande interdum nanciscitur volumen. Sicuti cretinismo frequentissime sociata; sic lymphatici habitus sequela esse consuevit. Serius ubi tempore propecta, et nimis ampliata fuerit, colore cupreo, aut nigrescenti — rufo tingitur, raucedinem, anhelitum, nec non cetera superius memorata producit incommoda. Atque huiusmodi endemica frequentissime potitur indole.

2. *S. aneurysmatica, — sanguinea, — vasculosa*. Haec effusionis sanguinis e cunctorum vasorum eminenter vero arteriarum glandulam thyreoideam perreptantium dilatatione exortae sistit effectum. Qui efformatur, tumor rapidum facit progressum, reliquis calidior tensorque, in qualibet sui parte pulsum suarum arteriarum exploranti percipere sinit, consistentiae est firmae, acie investigante grumis sanguinis farctus reperitur. Epistaxi, frenquenti vertigine, ac cephalaea aegrum infestat, deglutionem, respirationem ocuis, ac lymphatica pervertit.

3. *S. degenerata* tunc dicitur, dum parenchyma glandulae thyreoideae eam subit revolutionem, ut nunc steatomatosam, nunc fungosam, sarcomatosam alias, aut scirrhosam offerat texturam. Attamen sensu stricto ea dici solet degenerata, quae nisu simul in malignam, et carcinomaticam transeundi exulcerationem pollet. Cum vero degeneratio haec externis suis proprietatibus scirrhos alia glandulosa organa prehendentes aequaret, quamquam rarissime in cancerum ruerit; utque plenarie demonstratum non sit, strumam hanc ad initium suae evolutionis speciem lymphaticam non efficere, eamque successive per potentias noxias evolutioni scirrhi faventes in illam, quam praefert indolem, et formam conversam non fuisse; nil obest, quominus *scirrhosam* adpellemus. Haec senilem ex more infestat aetatem, sique adfuerit, duritiem lapideam, superficiem inaequalem, tuberosam, volumen parvum ad glandulam thyreoideam solum restrictum exhibet, cum trachea, musculis cervicis concreta, vicinae lymphaticae colli glandulae tumidae, venae strumae cervicisque varicosae deprehenduntur, terebrantibus et lancinantibus aeger adfligitur doloribus, deglutitio cum respiratione perturbantur. Quapropter non raro, antequam <sup>x</sup>exulceretur, hominem enecat. Nimia pertinacia omni resistit resolutioni, serius, aut ocius in carcinomaticam abitura exulcerationem.

§. 7. *Degenerationes sarcomaticae, fungosae, ac steatomosae*, vita adhuc constante, difficulter discernuntur. Nihilominus tamen nequaquam superfluum esse videtur singularum characteres, quibus nonnunquam elucescunt, revolvere. Quo firmiorem lucrèmur aegri confidentiam, animumque proniorem, sicubi malum, quo torquetur penitius cognoverimus.

*Tumor sarcomatosus*, seu carnosus, late patet, tota sua basi collo insidens nonnunquam extra glandulae thyreoideae ambitum extenditur, non fluctuat, nec pulsus manife-



stat. Initio mollis, serius durior, constanter vero mobilis, cuti concolor, indolensque est. Cui fungosa est textura, tumor ad tactu inaequalis percipitur. Steatomatosa praeditus 'pseudorganisatione indole non aequabili pressioni resistente, indolentia, coloris singularis absentia prodit, finibusque circumscribitur. Quilibet denique horum trium motibus laryngis plus minusve obsequi cogitur.

Distinguitur tandem struma congenita, haereditaria, et acquisita; item simplex, et complicata, nec non endemica atque sporadica.

§. 8. Exstant minus essentialia adhuc strumae differentiae variis, quae in iis delitescunt, morborum superstructae productis, et, ut totidem species a variis medicis stabilitae. Quibus tamen omni ex parte rite perpensis, eas conceptui strumae minus adaequatas; itaque hocce, et quod supra de illis retulimus in censum vocato, illas superfluas esse, quivis facile inveniet. Harum praecipuae sunt.

1. Struma inflammatoria, etiam Thyreoiditis, vel Cynanche thyreoidea dicta. Denotat inflammationem glandulae thyreoideae. Sed e re videtur tumorem inflammatorium nomine strumae, comparata amborum natura, inconvenienter insigniri. Struma vero quocunque modo inflammata non thyreoididem; verum strumam inflammatam sistit.

2. S. helminthica vernibus; calculosa terreis referta concrementis materiem in vivo non semper cognoscendam, nec in curam influentem suis limitibus inclusam solummodo indicant.

3. S. emphysematicam constituit, iuxta aliquorum mentem dilatatio textus cellulosi glandulae thyreoideae ab aëre ex trachea per ductum communicantem glandulam thyreoideam cum trachea iungentem, a celeberrimo Haller, Plenck, Borden, Fodéré suspicatum; verum cultro adhuc nequaquam demonstratum, vel per hiatus membranae trachealis, post luxuriationes, rupturam, fortem ad partem

nixum, vehementem clamorem, tussim violentam, vomitumque exortum, in telam cellulosam glandulae thyreoideae penetrante inducta; quod neque sufficientes, ac fide dignas desiderat observationes. Qui vero per hiatus talem prorumpit, aër in glandulam thyreoideam pertingere vix potest; itaque nil aliud, quam emphysema cutaneum producere valebit. Cui, quod indoli strumae non respondeat, hujus nomen non convenit.

4. **Formey**, et **Beaumés** distinguunt strumam in cellulosa m, et thyreoideam. Prior consistit in mutationibus strumaeformibus textus formativi glandulam thyreoideam vestientis. Sistitque tumorem laxum ad pressionem non dolentem, neque dyspnoeam, neque congestiones in capite generantem. Ast mutationes strumaeformes veluti strumam indiscriminatim considerari nequeunt. Posterior indicat iuxta **Frank** strumam in glandula thyreoidea haerentem. Unde clare elucet: terminum hunc non nisi strumam in glandula thyreoidea locatam esse indigitare. Quamobrem cum nullam essentialem indolis strumae differentiam ostendat; superfluum esse nemo non admittet.

5. **S. menstrualis** ab aliis assumpta, nil aliud est, quam periodica strumaeformis glandulae thyreoideae a congestione sanguinis derivanda intumescencia. Quae interdum ante menstruorum comparitionem, saepius sub eorum anomaliis emergit. Etiam si quum diutius subsisteret adaccumulationi, coagulationique gelatinosarum materierum occasionem praebet; nullo tamen modo varia desorganisationis divergentia hac distinctione detegitur. Idcirco eam, ut distinctam strumae speciem contemplari indoles sua nobis vetat.

6. **Fleisch**, et **Fodéré** discernunt adhuc strumam internam penitus ab externa extrorsum magis sita. Quid commodi ex hac partitione, non satis liquet. Quae enim exteriora versus magis iacet vel circumferentiam glandulae thyreoideae comprehendit, vel pone hanc locatur. Si ultimum; tunc non est struma. Si primum; nil nisi strumae praesentiam denotat.

7. Callisen dividit strumam in veram suam quippe in glandula thyreoidea figentem radicem, et falsam extra illam sitam. Hoc quoque discrimen eadem, ut praecedens, ex ratione fructu destituitur.

*Differentiae strumae ab aliis colli tumoribus.*

§. 9. Quae ad inferiorem tantum modo gradum provecta est, vel ultra hunc amplius non evehitur, struma committendo in diagnosi errori ansam subministrare valet. Quapropter singulo in casu sagacem exposcit sui investigationem. Quam optato cum fructu suscipere satagentibus sequentes notae levius reddent opus.

1. Bronchocele, quamquam minus perito tantum, strumam simulare solet. Ab ea tamen manifeste divergit, ut quae tumorem format crepitantem, non fluctuantem, elasticum, mollem, voluminis non ampli facile comprimendum, sub compressione, et expiratione disparentem, inspiratione vero, et cohibita respiratione augendum. Estque internae membranae tracheae, per aëris impetum iusto fortiorem seiunctione annulorum tracheae inducendum, propulsio. Quae violentias collo illatas, flatum, risum, clamorem effrenes, vehementem animi affectum, levationem gravium ponderum, quascunque corporis adstrictiones ultra, quam rectum sit, modum intensas, aut nixum fortiorem more solito excipit.

2. E m p h y s e m a ex tumoris elasticitate, crepitatione, brevi sui perseverantia, maiori extensione, celeri suo incremento, nullaque post impressionem digiti residua fovea clare discernimus.

3. Fontem aberrationis tumor cysticus ideo subgerere potest, quod struma, nec non glandula thyreoidea, ab omni ceteroquin indole strumosa aliena, similes non raro sinu suo recludent tumores. His sub rerum adiunctis iuvabit mentem in tumoris formam externam, originis modum, decursum, evolutionemque tactu percipiendas convertere. Quo facto non operosa erit tumoris determinatio.

4. Cum ad accumulatione pinguedinis in textu formativo glandulam thyreoideam, et cutim externam interfedente neutiquam permutabitur; ubi per contactum indolens tumoris homogenea, forma regularis, eius super glandula thyreoidea positio, insuper obesum reliquum corpus, lipomatibus videlicet qualitates, perquirenti innotuerint.

5. Induratio textus formativi pro struma cerni nequit. Illa enim motibus laryngis non obedit, decolor est, minori circumferentia, consistentia duriore, superficie aequali, et indolentia semet praesentat.

6. Struma exigui voluminis, arctis nempe substantiae suae finibus limitata, alterutrius modo glandulae thyreoideae lobi finem supremum occupans, supra arteriam carotidem posita, huiusque vibrationibus levata pulsum tactui, et inde falsam aneurysmatis carotidis faciem pervestiganti offerre valet. Ambo tamen abunde differunt. Aneurysma enim tale in uno dumtaxat latere enascitur, motibus laryngis fidem non obit comitem, digitisque ab arteria carotide parumper remota pulsum simulare cessat.

7. Tumores glandularum submaxillarium naturae scrophulosae, nec minus lateribus glandulae thyreoideae proxime adiacentes subin, quae superiorem glandulae thyreoideae extremitatem corripit, strumam mentiuntur. Quocirca locum, quo tumores germinant, horum decursum videre, nec non probe meminisse necessum: tumores scrophulosos sub contrectatione substantiam magis granulosam, vel spongiosam manifestare, motibus laryngis non parere, neque sine connubio scrophulosae diatheseos occurrere,

## A e t i o l o g i a.

### *Causa proxima.*

§. 10. Proximam huius morbi causam in aberrante tum quantitate, tum qualitate in glandula thyreoidea vigente processus vegetativi mo-

do radicari quivis facile intelliget. Siquidem immodica materierum indole sua a normali glandulae thyreoideae substantia organica recedentium productio, adcumulatio, earum postea propria, qua per propagationem vasorum instruuntur, vegetatione inducta degeneratio non aliunde melius, quam ab exaltata et perversa simul qualitate praedita nutritione glandulae eiusdem repeti queat. Prisci quidam ductus excretorios glandulae thyreoideae obstructos humorum congestionem in huius glandulae textura producere coniciebant. Hoc quidem simpliciter negari nequit; rerum tamen anatomicarum gnari probe memores ductus hos nec accuratissima, quantum 'possibilis fuit, inquisitione demonstrare hucdum successisse, de firmitate praelatae opinionis non dubitare non possunt. Aliis meatus communicantes aditum in glandulam thyreoideam aëri partes eius distendenti, ac dein relaxanti concedere videbantur; quos tamen exquirere non valebant.

### *Momenta disponentia.*

§. 11. Sicuti unusquisque alter morbus; ita struma specialem ad sui evolutionem requirit dispositionem. Quam in habitu lymphatico, seu systematis lymphatici prae ceteris praepondio, semet ut plurimum albis mollibusque communibus integumentis, oculis caeruleis, fulvis capillis, fibra molli flaccidaque, vegetationis quantitate exuberante, perversaque sua qualitate, hinc et humorum lymphaticorum copia manifestante quaerendam multa nos urgent. Quos enim strumaprehendit, saepissime habitu lymphatico instruuntur, neque aliam crebrius aetatem, quam infantilem anno septimo usque decimum interiectam, sexum vero ferme semper sequiorem invadit, queis videlicet alacris abundansve vulgo est vegetatio. Quod non mihi solum; verum aliis quoque in specie vero D. Hacquet \*) crebra fuit observandi occasio. Eo non

\*) Hacquet's neue physic. politische Reise durch die danischen, und sarmatischen oder nordischen Karpathen. Nürnberg. 4. Th. S. 129.

obstante viri adulti a struma non eximuntur, imo advertente Hacquet viros quinquaginta annis superiores ea corripit; nec adeo raro fit, ut adulti sani, ex strumarum andemicarum incunabulis, ubi in illis longius delituerint, strumis onerati redeant. Assertum itaque D. Cortun: aetatem puerilem virosque hoc morbo nunquam comprehendi, nullo valido fulcitur fundamento.

Hausleitner \*) dispositionem in ipsius glandulae thyreoideae atonia radicari credit. Fleischer a congestione passiva, et coagulatione humoris lymphatici in glandula thyreoidea contenti huius desorganisationem derivat. Utrum scrophulae praedisponant, nec ne, nondum ad vota usque confirmatum, et varia auctores dissentiunt ratione. Cretinismo saepe copulata incedit struma, quin tamen eo omne excluderetur dubium strumam ubique, et nullo non tempore e cretinismo efflorescere; quia absque huius connubio quoque invenitur.

Dispositionem subin a parentibus suis communicari surculis, alias congenitam esse casta evincitur experientia.

### *Momenta excitantia.*

#### §. 12.

### I. Strumae sporadicae.

I. Quibus circulus humorum in suprema corporis parte turbatur, sanguinisque refluxus ex glandula thyreoidea retinetur. Valent hoc prae ceteris excellenter inferre: tussis violens, risus, cantus, flatus quorumpiam instrumentorum, eiulatus, vagitusque immodici imprimis autem observante D. Rivet petulantium infantum educatione, moribusque perversis contracti, iidem quoque parturientium praecipue reclinato capite excitati, gestatio onerum in vertice capitis, labores partus intensi a parturiente peracti, scansio montium praesertim onerato corpore, incessus collo nudo animadvertente Walentin \*\*),

\*) Im Archiv für med. Erfahr. v. D. E. Horrn. 1810. 2. B. 1 Heft

\*\*) Walentin dissertatio medica de strumis Hannover 1817.

suppressio respirationis, nixu quocunque forti inducenda, affectus animi deprimentes diu durantes, violentiae mechanicae collo illatae, acria, caustica antice collo adplicita, alias rachitis, aut parotitis, sive denique glandulam thyreoideam premens eoque sanguinis ex hac refluxum intercipiens colli vestitus.

2. In partibus singulis congestiones provocare valentes potentiae inimicae. Inter quas retentio fluxus haemorrhoidalis, et catamenialis, graviditas eminentem tenent gradum. Testante Sculteto ex vasis varicosis unius exulceratae strumae haemorrhagiae, munere suppressi fluxus menstrui fungentes, erumpebant. Sic sub gravitate glandula thyreoidea nonnunquam intumescit, superato autem partu collabitur. Ita saepe ante pubertatem tumor in glandula thyreoidea procreatur, ea vero comparente rarissime solummodo remanet. Similes tumores ad initium in simplici nisi vasorum ampliatione consistunt, si tamen diutius perstiterint; facile adaccumulationi, et coagulationi humorum indolis gelatinosae, vel mucosae harumque degenerationi locum suggerunt.

3. Quaedam hominum occupationes. Unde in metallifossoribus, molitoribus, nentibus, lapicidis, nec non textoribus frequens haec labes conspicitur.

4. Inhabitatio aedium humidarum suam etiam, ad prognerandam hanc passionem confert symbolam.

### §. 13.

## II. Strumae endemicae.

Variae a variis proponuntur strumae endemicae causae occasionales. Signanter: aliqui eam regionibus montosis eo ex respectu attribuere, quod illa in his per saepe occurrat. Experientia omnino constat: in vallibus ela-

tiora montium iuga intereipientibus non raram inveniri. Sic in Helvetia, Carinthia, Tyroli, Styria, Russiae aliquot provinciis, Anglia, Sabaudia, in Apenninis, Pyrenaeis, Carpathicisque praeprimis autem Marmarosiensibus, et Neosoliensibus vallibus, ad ripas Alutae in Transsilvania, aliisque terrae nostrae altius sitis tractibus copiosas est videre strumas. Neutiquam tamen exinde inferre valemus: solam constitutionem montanam efficere strumae endemicae cunabula; siquidem in multis montanis locis Norwegiae, Lapponiae, Scotiae aliisque rarissima, neque alia, quam sporadica reperiatur.

Multi veterum, ac recentissime Iphofen, Mühlbach, Coindet, aliique potum aquae nivalis strumam endemicam excitare adseverant. Sed et huic opinioni plures reluctantur castae observationes. Etenim teste Fodéré incolas vallis Maurienne suis ex alpibus decurrentem bibere aquam nivalem; similiter Lappones aqua nivali uti, et omnem ab iis abesse strumam. In Sumatra nives, geluque ignorantur; eiates autem montium incolae monstrosus foedantur strumis. \*)

§. 14. Quidam potione aquae diversis iam terreis, iam metallicis saturatae moleculis, quae illa sub decursu suo per varia terram conformantia massarum anorganicarum strata impregnatur oneraturque, strumae endemicae semen corpori inseri contendunt. In specie Luce, et Coxe eandem aquae terra calcarea gravi; Gautieri, et Pallas aquae ad fodinas cupri, aluminis, sulfurisque e terra prosilientis; Vest aquae bronchinum seu materiam peculiarem siliceae iunctam continent; nonnulli tandem aquae acido carbonico privatae imputant. Compertum omnino habemus quaspian talium aquarum in certis plagis pernitiōsa sua indole genesi strumae favere. Ita adfirmante Coindet in tractu urbi Genevae vicino occurrere fontem cuius aquam bibentes struma adfici-

\*) Marsden's Geschichte und Beschreibung von Sumatra. S. 64.



untur; notum quoque in aliquibus Helvetiae, Carinthiae, Tyrolisque terrenis plures existere aquas strumam producere valentes, quarum usus ab eiatibus incolis advenis disvadetur. D. Mühlbach ipse die quadam aestiva sole fervente post hauritam frigidissimam in monte Rigi scaturientem aquam strumam adquisivit, quae non parum artis, ut aboliretur poscebat. In scripto periodico: vaterländische Blätter der oesterreichischen Monarchie, Professor Vest meminit certi fonti Carinthiae, cuius plures possessores suis cum domesticis sibi per longum temporis spatium succedentes, tamdiu struma onerabantur, donec quidam parumper circumspicior proprietarius novum strueret, atque priorem oppilaret fontem. Eiusmodi aquae non homini solum; verum, quae eas quoque potant, animalibus domesticis pravam hanc impertiuntur adfectionem. Quum tamen experientia nos edoceat, in pluribus regionibus omni prorsus huius generis aqua carentibus strumas reperiri; ex adverso in aliis indole tali imbutis aquis homines uti, quin aliqua saltem in iis conspicerentur strumae phaenomena: provenit inde aquis similibus solum sub determinato adiunctorum variorum, tam ex natura externa, quam ex parte ipsius organismi animalis repetitorum, concursu strumae generationem expediri. Adiuncta vero haec eorumque tum mutuae, tum, quas cum organismo fovent, relationes sagacissimi cuiusvis indagatoris sensibus se hucdum subduxere, ipsique indefessae experientiae suam celavere faciem.

Imhof, et Iphofen unice a deficiente in atmosphaera fluido electrico malum hocce repetunt. Nec insane; non enim parvam penuria electricitatis incurrit suspicionem aliquid saltem ad mali conferre originem, ubi expedierimus, strumam endemicam potissimum atmosphaera humida aequae; ac usu aquae frigidissimae electrico orbatis progenerari. Sed avidum seduli inquisitoris cognoscendi nisum penitus placare nequit. Nam si huic sententiae consonare liceret; tunc apud nos brumali anni vicissitudine, non absimiliter in regionibus po-

laribus, non secus quoque in omnibus humidis locis, ubi atmosphaera electrico pluriimum egena sit, multos saltem struma adfici oppoteret.

Haud multo minores semet iis obtrudunt difficultates, qui detegeudis in prava ciborum conditione morbi factoribus operam navant. Neminem enim fugit esse loca, quorum incolae ab usu ciborum qualitatis perversae quandoque variis miserandis plectuntur adfectionibus, nunquam vero nefandam experiuntur strumam.

Hamilton, Aurantius, et Heister scrophulas multum sua ad formandam strumam potentia opitulari existimant. Atqui plurimas extra consortium scrophularum obvenire strumas endemicas, nulli involvitur dubio. Ut adeo potius credendum videatur, strumas per accidens scrophulis sociari; praesente videlicet scrophulosi post aliarum noxiarum potentiarum, aut earum, quae scrophulosim procreant, influxum easdem procreare; siquidem illae ob analogiam textus glandulosi degenerationem glandulae thyreoideae proferre possint.

Barton praecipue aëris <sup>plu</sup>vidosi vi inimica strumas progigni arbitratur. Num hoc semper obtingat, non sine ratione dubitamus, qui in plagas paludibus onustas offendimus, quarum eas Hungariae et Italiae superioris adferre sufficiat, in quibus nullae prorsus reperiuntur strumae.

§. 15. Saussure, et Fodéré nocivos influxus, quibus strumae endemicae genesis debetur, in angustis vallibus, atmosphaera calida, vaporibus aqueis ultramodum simul refertis, radicari asserunt. Uterque veritati, ut mox patebit, proxime accedit. Enim vero observamus endemice oriri, et sustentari strumas inter vallium montibus praecaltis undique clausarum incolas, quae ventis aërem depurantibus accesum praecludunt, quarumve aër atmosphaericus copiosis impregnatur, humorum evaporatio-

ne ob radios solis meridianos hic fortius concentratos nimium generatis accumulatisque aqueis vaporibus; contra in vicinis, siccioribus elatioribusque locis rarissime strumam deprehendi, quamquam momentis virtute strumae generandae idonea insignitis non destituantur. Plurimum vero asserto huic favet observatio, qua compertum est: strumam in praefatis vallibus generatam sua in evolutione retineri aut plane imminui, imo aliquando evanescere; si ea adfecti altiora una sicca, vel ad minus sicca tantum, et pura etsi depressa, atque plana fuerint, petant loca, in hisque longiori perseverent tempore. Luculento sint exemplo Tyrolenses strumis endemicis infesti, qui dum in littoribus maris adriatici, quo merendorum vitae mediorum gratia verna anni periodo adpellunt diutius moraverint; strumam perdere solent. Accedit ultimo: strumae incrementum tempestate humida, et calida promoveri; dum e contra in atmosphaera gelida, et simul sicca cohibetur, item plana quaequam loca atmosphaerae calidae una humidae immersa foecundam strumae endemicae constituere matricem.

Frequentia strumarum endemicarum Fribergae, in montibus Saxoniae metalliferis (Erzgebirge) loco elato sitae, et nullis sen paludibus, seu silvis, aut montibus cinctae, ab Iphofen adlata Saussuri asserto nil officit. Nam atmosphaera calida humidaque vallibus angustis reclusa non unicum sistit strumae endemicae momentum conditionale. Igitur Fribergae aliis nocivis potentiis, quamvis nedum fors sufficienter erutis, tam in conditione physica regionis, quam organismorum humanorum fundatis, strumas prognerari, et foveri suapte promanat, nec est qui non intelliget. Evenire quoque potuit, strumas Fribergae, quod hic et illic observare licet, a strumosis quondam ibi sedes figentibus haereditario propagatas fuisse modo.

Sic Marcardi \*) animadversio: nullibi forsan adeo hu-

\*) Reisen durch die französische Schweiz und Italien, Hannover 1707. S. 200.

midum, et calidum, ac in urbe Neapolitana reperiri aërem atmosphaericum; at vero nulla hic offendi strumae indicia sententiam Saussuri aequè non infringit. Enim tantum evincit: atmosphaeram calidam et humidam simul non absolutam strumae / endemicae constituere causam excitantem, eamque certis modo sub adiunctis in hanc non aliter, ac aquam communem, potulentum certe saluberrimum, sub determinatis conditionibus in largum morborum mutari fontem.

§. 16. Dum praefatarum, quae strumam endemicam inducere arguuntur, causarum occasionalium agmen mente sobria in trutinam referimus, ad credendum permovemur: nullam earum absolutam, nec ullam adeo evictam esse, ut illam, quin minimum saltem incurramus errorem, amplecteremur. Est etiam sufficiens, ac multiplex rei ratio. Conditiones enim physicas naturae externae, et dynamico-organicas ex parte organismi humani, harumque relationes mutuas, quarum concursu genesis strumae opus habet, determinare multo plus, ac primo adparet obtutu arduum, nec parvo res absolvitur labentis temporis stadio. Quod iterum partim ipsam naturam densa caligine rem obvelantem, partim paucos pervestigandae huic organicae anomaliae conatum admoventes medicos, iam breve, quod ei perquirendae, alio videlicet munere detenti, consecrare potuere tempus, tandem sicuti in ceteris medicinae ramis; ita hic quoque coecam multorum fidem obicem suum agnoscit. Qua praelucente ducti opinionem quorumptam, quin rem ulterius mente ab omni praeconcepto iudicio repurgata prosequerentur, avidissime amplexam pertinacissime, imprudentis adinstar defendere militis, eamque animae suae profundissime impressam in suum plane invexere tumulum. Levius enim est credere negotium, quam sedule sagaciterque investigare. Eo non obstante sperare licet fore, ut quae nunc circa genesis strumae parumper obscura sunt, sub temporis decursu uberiore scientiarum naturalium perfectione,

et luce, quarum iam giganteos admiramur progressus, collustrata suam tandem olim penitus detegant iudolem.

Adductarum vero hic excitantium strumae endemicae causarum maximam sibi lucratur probabilitatem a Saussure prolata, quae nimirum plurimis nititur iustis observationibus. Proxime huic accedere videtur supra expositarum singularis indolis aquarum potio.

## T e r m i n a t i o n e s.

§. 17. Subinde in tenera evoluta aetate struma ingruente pubertate disparet. Interdum evenit, ut post influxum potentiarum noxiarum maxime vero violentiarum mechanicarum in sua parte, vel totus inflammatus tumor, per subsequentem suppurationem sub congruo medico tractamine nullis relictis aegritudinibus consumatur. Quod absente omni conveniente medela haud insequitur, nec sperandum; imo vero, qui saepe formabantur, sinuosi abscessus, ulceraque fistulosa organa vicina crudeliter carrodentia anxie expectanda. Nec adeo rarum est, ut abscessu celeriter efformato, et increscente aegri suffocati, vel apoplectice extincti miserandae huius iniquitatis victimae ceciderint.

Sed aliter etiam maximo vitam exponit periculo, exituque lethali aegrum a se in aeternum liberat. Ita grandi mortis metu iuste semper percellitur aeger, quotiescunque tumor nimis durus, aut magnus est, vel tali augetur directione, ut tracheam, oesophagum, arterias carotides, venasque iugulares comprimendo alimentis aërique viam non conciliet, sanguinis vero liberum per dicta vasa circuitum intercipiat, sive dum, licet ab antelatis procul abesset adiunctis, accidentaliter inflammata celerrime increscat, aut ulcera late, atque profunde repentina suppuratio efformaverit, denique ubi struma degenerata in carcinomaticam ruens exulcerationem ulcera fistulosa trachae, oesophago intulerit. Quandoque haemorrhagia e ru-

ptis strumae aneurysmaticae ultramodum dilatatis vasis promanante inevitabili mortis aeger subicitur falei.

His non subversantibus momentis vita incolumis non secus; ac struma absente seram usque provehi potest aetatem.

## P r o g n o s i s.

§. 18. Possibilitatem strumam imminuendi, vel penitus removendi definimus secundum causas, durationem, magnitudinem, duritiem complicationem, speciemque strumae, nec non diversas, in quibus aeger versatur, individuales relationes.

Struma lymphatica, paribus sub circumstantiis, prae reliquis facillime sanatur. S. aneurysmatica, atrociores proferens malignitates, remediis pharmaceuticis omnibus rebellis, operatione tantummodo iniquae suae efficientiae abolitionem admittit. Maxime infaustam prognosim sibi postulat s. degenerata, inprimis autem degeneratio vere scirrhusa. Cui nimirum ea est iniquitas, ut si aeger extirpationem abhorruerit, denegatque; feralem nullo non tempore polliceatur exitum. Atque ipsa si concedatur operatio, non alium, quam dubium praenunciat eventum. Paulo minus, quamvis non ubique, involvunt periculum fungosae, steatomatae atque sarcomatae pseudoorganisationes.

Struma endemica, propter admodum difficilem malignorum agentium subinde nec possibilem remotionem, tum quod illis aeger raro subtrahi possit, multo plus artis / operisque sporadica ad sui poscit sublationem.

Quo autem diutius struma perseveraverit, et quo plus dissitis circumscribitur massae suae terminis; eo maiori pertinacia cuivis resistit medelae.

Iuvenili praesente individuo, et quibus minus praevalens est lymphatica constitutio laetiolem, ac sub contrariis adiunctis enunciamus prognosim.

## T h e r a p i a.

*A. Cura prophylactica.*

§. 19. Strumae praevertendo plurimum contribuit: maturatione infantum ex plagis strumam foventibus ad sicca, et altiora loca translatio, eorum in his per nutrices e salubri regione desumptas lactatio, atque postea ad pubertatis annos in illis commoratio. Permutatione regionis ab aegri circumstantiis non conciliata, eo incumbendum erit; ut conclavia in eiusmodi fatalibus locis obvia hominumque habitationi destinata quam siccissima conserventur, e quibus superioribus effluata contignationibus prae aliis incolere praestat. Aquae malae notae angve, et peste magis insuper vitandae. In harum vicem vinum, et cerevisia largius quidquam hausta plus prosunt, quam obsunt. Commendantur, et omnino salutes exserunt vires aquae artis ope acido carbonico saturatae, quae vilibus expensis, ac vario iuxta Bergmann \*) parari queunt modo.

Quaelibet dein inimica potentia evolutionem strumae expediens studiose, curatius adhuc lymphatico habitu praeditis non modo in regione strumis amica; verum citra eas quoque cavenda erit. Quem in finem ab omni violenti musculorum colli adstrictione, cantu, clamore, flatu etc. intensis, gestatione onerum in capitis vertice producenda solaque generandae strumae pari semet continendum. Femina parturiens hortanda, ut mentum collo adprimere, nec caput valde reclinare, neque eiulare velit. Collum a repentino refrigerio calorem fovente collari praesertim in puellis maioris horum dispositionis causa praemunire convenit.

*B. Cura radicalis.*

§. 20. Strumaticis omnium primo consultum erit, si eorum adiuncta indulserint, e regione sua in aliam puram emi-

\*) Bergmanns kleine phys. chem. Werke, 1. B. 2. Abth. S. 325.

grare. Quo per sortem aegri seu concesso, seu prohibito diversis deleterium hoc vitae aberrantis productum abigere conamur armis.

Plebs, // hinc inde cursitantes circumforanei, agyrtae (Hausirer, Marktschreyer, Landstreicher, Quacksalber), et vetulae unguentariae (Schmierweiber) variis promiscue sicuti contra alios morbos; ita adversus strumam specificis, minime tamen hoc nomine dignis, utuntur remediis. Nec quaerunt, cuius haec, vel illi sint Indolis, seu rectius nullam illorum, aut horum suam ob crassam in rebus medicis ignorantiam habere valent rationem. Sunt autem communissime hi circumforanei homines, qui sui optatum non ferentis fructum opificii pertaesi, aut adverso ad incitas redacti fato, vel ob perpetrata facinora a bonorum consortio exulare coacti, sive alio occupari negotio nolentes unguentis, emplastrisque ad suum saepissime arbitrium ex quibuscunque obviis materiis conficiendis, vel oleis diversis impregnandis substantiis semet adplicant, vel, quod non raro fit, eorum compositionem ex operibus medicis, aut ex ephemeridibus ea dilaudantibus excerpere. Nonnulli vero quaedam emplastra, unguentaque quondam a medico, cui serviebant, aut in nosocomio praeparare, iisque lacinias inungere condidicere. Alii demum a circumforaneis vetulisque iam fama potentibus suam admirandam hauserant artem. In eo tamen omnes conveniunt, quod unusquisque eorum suo, tamquam universali, remedio omnes omnium morborum adoriatur modificationes, homines audacter deludat, vel, quod non raro, perimat, myriadibusque mendaciorum imperitam ad admirationem usque exerceat gentem.

Sit facultas pauca e millenis adducere exempla: D. S t i n g e l in suo de agyrtis, et circumforaneis tractatu refert, Lüneburgi aegris medentem (vel rectius aegros deludentem, aut iis vitam adimentem) circumvagavisse agyrtam, qui mercantile suum deserens negotium, ad sanandos vaccina urina, aqua, et saccharo remixta, phthisicos, ea seductus animadversione



aemet convertit, quod phthisi pulmonali obnoxii a stabulorum vaccinatorum ex consilio medico in habitatione communiter levamen experirentur. Cum ergo meri stabulis his reclusi a vaccis exhalati vapores tantum prodessent; crassior vaccina substantia multo maius non poterit non adferre levamen conclusit. Ac mox numerosi eius expetiere phthisici auxilium, e quibus aliqui imaginaria solum phthisi laborantes convalescere; vera autem phthisi sic constituta, ut solis viribus organismi sui abolitionem non admitteret, adfecti in Abrahae eluctarunt sinum; Agyrta e contra suam implevit crumenam. Verum quidem est, aërem copioso gravem azoto a labe pulmonum phthisica adfectis respiratum eo largiri levamen, quod chronica pulmonum inflammatio, ac exulceratio, ubi eodem minus stimulantur pulmones, multum detineantur; at quomodo urina vaccarum diversis acribus referta salibus ipsaque impregnata ammonia sanguini acrimoniam impertiens universum, proin et pulmonale, vasorum systema potenter sollicitando irritandoque sortem phthisicorum lenire valet? Forsitan eo, quatenus aeternae eos ocus tradit quieti? similem periculosum ipse novi agyrtam, qui eo, quo nitebatur, ex falso principio: ciborum, ac potulentorum abusum unicum omnium sistere morborum fontem, aberrans demoliendo cuicumque morbo purgantes obmovebat guttas, quibus licet aegrotos saepe ab omni repurgavisset vi vitali; mundum tamen iam a sordibus intestinalibus reliquerat corpus. Alium nequam ignorantem, nec parum ambitiosum adhuc novi circumforaneum, qui spiritu quodam variis stimulantibus mixto materiis omnes, eius praesidium, veluti ultimam salutis ancoram, expetientes infirmos refocillavit. Quum vero febris caractere inflammatorio praedita, quam spiritu suo tanquam oleo ignem alebat, et exasperabat, tandem in nervosam, aut inflammatio quaequam in Gangraenam abivisset, dosim spiritus auxit affirmando: aegrum maiori adhuc egere dosi. Aegro vero nunc, quod frequentius accidit, pacate exspirante eum, cum nec a maioribus spiritus dosibus

convalesceret, valde debilem fuisse innuebat. Atque sic, aliterque variis deleteriis utebantur, utunturque circumforanei remediis, et coeca insipientique in perniciem hominum desudant ratione.

§. 21. Acciditque, quamvis rarissime, ut coeco quodam casu prava corporis adfectio, dum sub eiusmodi laudato vetularum tractamine variis indiscriminatim oppugnatur remediis coërceatur, imo interdum aboleatur; quippe: si talia coeco ictu, veluti iactu aleae, adplicentur remedia, quibuscum demolienda, cui opponuntur, morbi species talem fovet relationem, ut haec vi suae indolis iis cedere adigatur, et illa tenore suae efficaciae hanc propulsare valeant, vel si quaecunque demum adiuncta, aut valida organismi reagendi potestas, visque medicatrix sua morbo sufferendo adstiterint efficientia.

Quo obtingente mox similes vagabundi perinde; ac oberrantes vetulae suas, fortuito e votis succedentes, curas amplius spargere buccis non intermittunt, aliis quoque ignorantibus in hoc opere adiuti, ceu tympanotribae ad licitandas suas, quas praeconiis diffamant, et astra usque extollunt, merces homines congregant. Quid autem vulgo nunc ab his circumforaneis, et iis, qui coecam illorum fortuna quadam evasere curam, veni praebetur? Vastus foret hic libellus, si cuncta ea complecteretur, quibus ad sidera eriguntur capilli, queis nec ullus hic est locus. Quod communissime meas percelluit aures sequens fuit singularis conclusio: iste aeger curabatur per illum (vel illam), et felicissime convaleuit, ergo hunc aegrum vir ille egregius (vel vetula prudens) sanavit. Pridic iterum illam aegrotam e gravissimo salvavit morbo. En excellentem magistrum (vel dextram vetulam)! ego ubi aegrotare cogor, neminem ni celebrem hunc virum (vel celebratam anum) advoco, quem (vel quam) vobis quoque commendo. Hoc vero sequenti roborabatur syllogismo: omnis, qui sub tractamine quocunque medicante convalescit, restitutam sibi pristinam

sanctatem illi, a quo curabatur debet (hoc indubium omnino erit, si rationalis fuerit, ut qui suarum novit actionum rationes, et artis medicae peritus est, medens); sed hic aeger sub cura N. suam recuperavit valetudinem, ut eam ergo N. in acceptis referat, oportet. Igitur N. vir egregius, (vel vetula dilaudata), artifex et magister versatus, dexterque, atque scientia fundata illustris est. Et profecto, non versatum tantum, imo versatissimum in arte: coecam suam inscitiam scientiae artisque adinstar summa cum protervitate venditandi, illum esse candide fatemur. Minime tamen eiusmodi magistrum, huiusque artem laudibus efferre, eique adplaudere possumus, quibus frigidus, et obtusus non satis est animus conticendo ad illud vulgare: „mundus vult deludi; dignus ergo, ut deludatur.“

Juvate me iam nunc illam imprudentem, infundatam, perversamque multorum ridere concludendi rationem. Sed non ridere, quod inhumanum est; verum compati iis, qui nec intelligere, atque discernere valent, sicubi irrationalem, coecam, et saepissime exitialem plebeiorum, aliorumque circumerantium medicationem optato contigerit potiri effectum; utrum hic scientiae fundatae, rationalitati, atque securae eorum arti adscribendus, vel potius fortuito adiunctorum diversorum concursui imputandus? Num hic aliter tali pseudomedenti; quam traiecta a homine visione orbato volitans avicula dexteritati coeci iaculantis adtribuendus.

§. 22. Longe saepius tamen proh dolor! tristes, et maxime miserandi curam eorum insequuntur effectus, ut non infrequenter videre liceat profunde lateque cum ferocia ad horrorem usque organa devastantes exulcerationes, excrescentias foedissimas, horridum sphacelum, febres nervosas, putridasque, aut fatalem cancrum, quae ceu totidem vindicis naturae, super commissa ex temeraria ignorantia peccata, poenas molientis flagella emergunt. Mihi quoque larga in nosocomiis

haec videndi imperitiae consecraria, et a referentibus aegris dabatur audiendi copia: quam deleteria imprudentique ratione citra nosocomium a circumforaneis miserandi tractati fuere infirmi! Sciunt quidem hac sub rerum constellatione similes pseudoaesculapii coecitatem suam nefaria temeritate stipatam varias adducendo causas, variaque incusando obiecta, et adiuncta, aliis coecis mortalibus obtegere. Ut sint, qui non crubescant, nec abhorreant malos spiritus, vel varios miraculosos, et superstitiosos eventus inculpare; dum alii trito illo proverbio „nullum contra mortem medicamen“ (quod quidem verum suo loco, et tempore; ast non semper), et similibus praestigiis malisque artibus suam insipientibus celant inscientiam, eoque grandes suos vestiunt errores.

Dignas omnino illos audaciae suae luere conveniret poenas, satiusque foret, illos ab omni prorsus eiusmodi spuria gravi sub mulcta cohibere medicatione, ne nimirum amplius coeco submittere tentamini, eoque plurimum hominum periclitari valerent salutem, quisque sanae rationis compos, cui vita chara est, lubens adnuet. Certe nemo sutori suas tradet reparandas vestes. Quis horologium alteri, ni perito committet artificio? Et pretiosissima corporis humani machina rudi conceditur vetulae!! — Cur non sutori fabrilem, et sartori pictoriam tractandi artem damus occasionem? Cur non agricolae, iustitiam administrare permittimus, si iisdem licet sanare? Cur legibus prohibemus, ut nullus nec opifex, nec artifex suum exerceat officium, nisi exactis tyrocinii annis specimine, ac examine suam probatam dederit scientiam, et ab artis suae peritis pro idoneo declaratus fuerit? Cur poena gravissima eos afficimus, qui contra haec iura agunt, hos vero unilaterali, manca, saepe falsa erroneaque, vel, quod frequentius, nulla plane experientia, cognitionibusque medicis, sed audacia efronti scientiae artisque, ac iusti ratiocinii vice utentes, atque nudo fortunae omnia committentes vento circumforaneos vetulasque pericula generi humano struere, et multiplicare sini-

mus, utilissimamque, ac nobilissimam artem medicam, divinum institutum profanari patimur? Nec quid minus arguendi sunt, medicos agentes, Pharmacopoei. Quemadmodum enim ridicule, et sinistre confector glutinis artem? (eo subintellecto, si eam non didicisset) scriniariam eo ex motivo exerceret, quod scriniarius eius egeat utaturque glutine; sic Pharmacopoeus erronee artem medicam, ubi eam non percepisset, ea ex ratione exercebit, quod medico pharmaca praeparet. Quanto risu dignus fieret laborans pharmacopoealis, ubi ea invaderetur insania, ut se, propter comparatam in comminuendis radicibus corticibusque sibi dexteritatem, iam arti quoque pharmaceuticae exercendae habilem esse opinaretur.

§. 23. Quemadmodum specifica remedia, ut talia, quae sub quacunque unius eiusdemque morbi imagine, seu modificatione semper, et ubique cum emolumento usuari possent non existere; sic nulla, quorum unumquodque omni sub constitutione strumae utiliter adhiberi valeret, reperiri antistrumosa, nemo rerum medicarum gnarus inficiabitur. Quis unquam rationalium medicorum mente concepit, aut cuius in animo fuit remediis iisdem, quibus lymphaticam etiam aneurysmaticam, aut degeneratam tractare strumam. Enim vero si hoc sit, perinde ridiculum, et perniciosum erit; ac febrim nervosam illis, ut febrim inflammatoriam impugnare pharmacis, vel febrim rheumaticam perinde; ac putridam, sive intermittentem curare, nec aliud in aegro, quam utrum febrim laboret explorare, hac vero praesente confestim pipere cum cremato plebeiorum et vetularum more infirmum reficere; aut sitiienti, vel esurienti carnes panemque propinare. Eadem ratione risum concitaret, si quis aestu nimio divexatum non absimiliter; ac algore permeatum valde calefacto omnium primo inclusum cubili crassis obvelaret stragulis, membra calidis involveret fomentis, pro potione vero vinum generosum, vel infusum Melissa, Sambuci, florum Tillae cum spiritu Rhum, vel Arrak

aut Mindereri, aut Camphora, sive loco horum opium aliaque sudorifera propinaverit. Quid enim aliud haec sibi vellent, quam fortuito dulcem committere casui vitam, eamque maximo exponere discrimini. Ac ideo quidem; quia iterata comprobatur experientia, perversum eiusmodi tractamen centum vicibus noxios parere effectus (dum videlicet determinatae ad hoc, ut noceat, adsunt organismi relationes); ter quaterve autem adsumum in deterius non convertere corpus (ubi nempe determinatae ad hoc, ut non noceat, subversantur corporis relationes).

Nihilo secius tamen crebro videmus circumvagantes, ab omni prorsus medicarum cognitionum lumine vacivos, agyrtae oppositae naturae morbos, aut eundem licet morbum; sub varia tamen comparentem modificatione, vel variis e causis propullulantem uno eodem invadere remedio. Ut adeo infirmus suam penes eorum medicationem recuperatam valetudinem ferme semper suae modo validae; tam morbum, quam errores agyrtarum superanti, vi vitali, aliisque (quae tamen rationalitate circumforanei ita, ut iuvent, non dirigebantur) pro salute eius fortuito concurrentibus adiunctis imputare debeat. Si vero interdum circumforaneo morbum levare successerit, aut exhibita ab eo non nocuerint; inde ad perspicuitatem notionemque medicam eius ne quidquam concludi potest. Nil aliud enim influit, quam eas fortuito non adfuisse organismi relationes, quibus praesentibus coeca eius medicatio non levideusem corpori intulisset noxam, aut morbum talis fuisse naturae, qui remedio, quod coeca manu ab agyrta exhibebatur, cedere consuevit. Unde satis patescit, bonas curae eiusmodi sequelas, nunquam e rationalibus circumforaneorum principiis medicis rectoque ratiocinio, quum his penitus vacent, promanare clarius, ac ut in dubium vocari possit, esse nemo non videt. Rarissime namque circumforaneus, et tunc non accurate, illas determinare valet circumstantias relationesque, in quibus hoc, vel illud in organismi humani evolutum, vel detrimentum ce-

dere possit. Quis igitur rationalium hominum plenam hanc periculo futae praeferet seligetque viam, dum serie, quam facile talis victima cadere possit ignorantiae perpenderit. Enim verus, si iuvare nequeat, saltem non nocet, medens.

Sed an ille, qui omni prorsus hominis sani aequae; ut infirmi indolisque pharmacorum notione destituitur, in corporis salutem aliquid rationalis, quod idem, ac salutaris operari valebit? — Num navita in vasto oceani ambitu remigare optans in hoc tute versabitur, in priusquam hunc ingrediatur, exactam constitutionis huius effigiem habuerit, artisque navigandi peritus fuerit? Eodem modo complicatae nimio opere machinae menda nemo reparabit, praeter quam, qui suam novit constructionem. Nonne hostem tantum artis bellandi optime profligabunt gnari? Neque alter, quam iuridicis imbutus notionibus ad vota litigantis terminabit processum. Ut adeo nulla alia, quam coeca coecorum fiducia sit ratio; dum artis medicae ignavis ac saepissime rudibus vita, et cum hac tota individualis hominum confiditur existentia.

§. 24. Hinc non absque ratione admirari cogimur aegros quandoque plane tales, qui ceu cultura mentis subtiliore excellentes videri volunt, quum luce suae culturae perducti coeca coecae vetularum agyrtarumque temeritati fiducia suam concedunt salutem. Quive, frequentissime in deteriorem simili spuria cura coniecti sortem, tandem, ubi ad extremum redactis nullum amplius subministrari potest auxilium, rationalis medicae artis praesidium implorare solent. Ubi vero haec, ob naturam morbi cuius iam nunc medelae reluctantem, optata praestare nequit; subito eam, ut insecurem, inutilem, imperfectam, et insufficientem, medicos vero ut ignorantes, imperitos pleno inculpare, et divulgare non erubescunt ore, eosque illud continuo fugit vulgare „principiis congruo obsta auxilio, sero medicina paratur.“

Non sine compassione eos quoque conspiciamus, qui, dum passionem, qua exercentur, protractam non nisi, ad sui pro-

fligationem, expetentem curam rationalem, non extemplo, advocatus amoveat medicus, cuiusvis obviae vetulae, misso medico, coeco suam committunt tentamini vitam. Quo tunc saepe id insuper contingit, ut medicamentorum, a medico adhuc porrectorum salutifera serius emergens virtus, vetulae adcurrenti attribuat.

Ita non una vice experiri licet aegrotos illico suam vetulae conciliare fidem, quamprimum suam, a quocunque rationali medico morbum, poscente sic huius conditione, lenibus solum observent offendi armis. Licet ille probe secum reputans, ne quippe: multum agendo plus obsit, quam prosit, nil ac, quod rationi conforme est, exequatur.

Videamus vero nunc qualia prius prolatis sub adjunctis lecto aegri advolans vetula, vel alter quilibet circumforaneus perficit miranda. Ut brevibus rem expediamus, illa nullam, seu pharmacorum, seu morborum noscendo indolem; proin nec ab ullis pertimescens iniquis resultatis, neque, utrum post perniciosum eius tractamen priore fors atrociora postmodum in organismo aegri erupuerint mala, vel non (quoniam pharmaca, ut notum, non suo loco, tempore, non item sua forma, dosisque recta adhibita in potentiam omnino vertuntur morbificam) in computum trahendo, temerarie, et promiscue sine lege sine ratione diversa; sed frequentissime incongrua morbo obvertit. Sique fortuito quodam iactu sub tumultuaria sua cura morbus disparuerit (quoniam forsitan vis naturae medicatrix, ut supra iam monuimus, interim imperium tam super morbo, quam vetulae erroribus lucrata est, aut reipsa congruum quoddam casu fortuito vetula adplicuit remedium, sive tandem fato quo, et non a rationalitate vetulae adcommodatae, ac modificatae, quaecunque demum, ad sufferendum morbum confluxere circumstantiae); mox, fama eius quaquaversus volante, splendido centenorum ignorantium vetularumque pleno ore adornato potitur triumpho. Arti e contra medicae non exigua adpellitur procella, grandeque ei indicitur bellum.



Nec pauciores sunt, qui vetularum clam utentes consilio non secus; ac veneno optima insciant conturbantque medici consilia. Magna pars aegrorum non omnia, aut imperfecte exequentes medici monita, ipsi maximum curae ponunt obicem.

Ipsos quoque aegri adsistentes domesticos non omnes prompto prolixoque instructos animo; quin imo interdum suo, quod erga morbum, aut ipsum aegrum fovent, odio, vel sua negligentia aut ignavia, sive sua levitate animi medici pervertere curam quotidiana evincit experientia. Atque rebus licet sic constitutis; medico, utut innocenti, portanda persaepe venit culpa.

§. 25. Plures adhuc, quibus gravis arti medicae medicisque inferri solet iniuria, recensere modos operis vetat brevitatis, verecundia item, ac prudentia svadet lectorem cum nefandis infundatisque, quibus inculti, aut spurie culti saluberrimae artis quippe medicae valorem infringere conantur, non molestare coniecturis. Nec locus concedit quotidianam, et non uno genere ignominiosam recoquere crambem, atque cum eiusmodi omni abominio dignis fatuisque luctari contumeliis. Id unicum respicere velimus, quantopere rationi adversum foret, si arborem hic, et illic suo in cacumine fructus amoenos quidem; sed ab aliquibus organo visus perverso instructis minus bonos depraedicatorum, aut reapse paucos pravos, longe autem plures venustos, salubresque proferentem decutere, et eradicare adniteremur.

At vero quis de scientia, et arte medica seu de scientia vitae hominum ut sanae; sic infirmae, atque arte huius valetudinem, ceu pretiosissimum nostrum conservandi, laesumque resarciendi bonum ita sentiet, qui vel eminus divinos, quos ceterae naturae scientiae in orbem spargunt, et quibus maxime etiam abditas hominum latebras collustrando salutem hominum multum promovent, percepit lucis radios, quive dulcissimos, ac utilissimos, quibus illae mortales reficiunt quidquam saltem noverit fructus. Si vero hoc, de ceteris naturae

scientiis deprædicare fas sit; id a potiori de scientia, et arte medica, ceu de scientia sospitandæ hominum igitur et nostræ vitæ, hinc omnium reliquarum naturæ doctrinarum principe præfari licebit, convenietque. Quæ enim homine nobilior reperiatür organisatio, quid nobis homine in orbe hoc propius, quodve vita nostra charius nemini notum. Qui hæc non concedit nequidem quid vermis; eo minus quid homo quæve ei sint dignitas, valor, facultates atque destinatio mente comprehendit, neque suam; minus adhuc proximorum suorum serio pensitare valet salutem. Igitur obiecti ipsius doctrinæ, et artis medicæ ignorans valorem, hanc aestimare nequit. Quantum autem hæc lucis, quantaque bona humano adfundat generi, illæ, quibus medici, facultas medica, et vetera sunt medico-politica instituta, ac coordinationes testentur regiones; convertantur item oculi ad eas omnibus plane nunc memoratis medicis subsidiis beneficiisque destitutas, quarum barbaries, ac squallor non sine horrore contemplari queunt.

Potest ne, quaeso tandem, non in tota artis, aut scientiæ sphaera versatus super omni horum ramo, de cunctis partibus quolibetque eorum obiecto æquum ferre iudicium? Quis alter utrum hoc, vel illud in certa arte rectum aut obliquum, dextrum, vel sinistrum, iustum aut iniustum, turpe sive pulchrum, utile vel inutile exacte discernet, determinabitque, ni qui omnia, quæ ad hoc, ut illud idem in eadem arte, et scientia rectum vel iniustum sit requiruntur, noverit momenta? Quidni artem pictoriam aut musices adamussim diiudicabit, præterquam, qui easdem proprias sibi reddiderit? Neminem itaque sicuti de artis medicæ utilitate, valore, meritis, erroribus, beneficiisque; ita de medici scientia, dexteritate, erroribus, meritisque, ni totum medicæ artis ambitum, huiusque in societatem humanam influxus notos habuerit, condigne semper disceptare posse, quisque facile comprehendet.

Quæ nunc revolvebam ad dissertationis meæ thema strictè, et absolute quidem non pertinere bene persvadeor; nihi-

lominus tamen nullatenus continere poteram, ut ea huc non includerem. Cum erroneae, quemadmodum circa quasvis alias artes, et scientias; ita de medica quoque, proinde, et de cura strumae opiniones, non satis oppugnari refrenarique valeant, ne in labyrintho vagari sinant mortales.

Sed iam nunc salutari sua virtute strumum communiter iugulantia brevi nobis perstringenda veniunt remedia. Et quidem:

## I. Remedia usui interno inservientia.

§. 26. **I**n struma lymphatica summe necessaria indicatio, ac desiderium nobis sunt: processum vegetationis in glandula thyreoidea eum ad modum invertere, ut formatio substantiae luxuriantis minuatur, formatae resolutio, resolutae vero resorptio exaltentur. Et profecto strumae lymphaticae vulgo obmota remedia tali; licet votis non plene adaequato, non deesse effectu plus, quam certum est. Ut adeo admodum praepostere quis concluderet, curam strumae lymphaticae non aliam, ac mere esse empiricam. Siquidem multiplici compertum habeamus experientia, medicamina illa dosi conveniente adhibita resolventem, emaciatione, flacciditate, variis item passivis profluviiis prodeuntem, omni organicae imprimere compagi virtutem.

§. 27. Remediis mox memorandis praemissa aquarum mineralium tum potus, tum balnei forma adplicatio curam solent adjuvare. Quarum pure salinas plethoricis, temperamento sanguineo, et irritabilitate evagante praeditis; quae vero etiam sulfur vel gas acidum carbonicum, sive gas acidum hydrothionicum sibi iunctum habent individuus phlegmaticis commendamus. Quidam strumosos pro usu remediorum infra sequentium etiam purgantibus praeparant. Et sane; etenim primas eorum vias depurando, harumque activitatem excitando atrii simul, quo reliquo inferantur organismo, receptivi-

vitatem intendunt, quo facto recte efficiunt, ut remedia postmodum, propinanda melius votis respondentem proferre valeant effectum.

§. 28. Atque iam diversi diversa, quae communiter valida hanc strumae conformationem laedendi est vis, laudant pharmaca. Quorum Iodina, et hac scatentia merito primum occupant locum. Ut quorum proficua virtus in hac strumae specie iteratis confirmata est vicibus, quaeque specifici pene exseruere actionem. Ex his vero ceteris palmam praeripit:

Carbo Spongiae marinae, — Spongia marina usta, — seu tosta. Ast ni per hebdomadas imo, quod interdum necessum, per menses usus eius protrahatur, desideratum non adducit effectum.

Porrigitur forma pulveris ad scrupulum unum bis de die addito pulvere cort. Cinnamomi, vel nucis moschatae, aut in huius vicem elaeosaccharo. Adiiici potest etiam sulfas Kali, Digitalis purpurea, aut Cicuta, vel ad acuendam eius virtutem Calomelae granum semis, usque unum.

Rust imprimis sequentem laudat combinationem:

Rpe. Foliorum Dig. purp.  
grana 4 — 6  
Spongiae mar. ustae  
Unc. semis  
Elaeosacchari Foeniculi  
Drach. duas

M. f. pulv. div. in part. 12. aequ. D. S.

Täglich 2 — 3 Pulv. zu nehmen.

Etiam si efficax; attamen vix non semper vomitum, gastralgiam, diarrhoeam, ventriculi debilitatem gignendo non immolesta est forma pulveris. Cur a nonnullis forma Trochiscorum e Spongia marina usta, melle, et pulvere Cinnamoni

constans praefertur. De qua illis ter de die magnitudinem nucis avellanae aequantem portionem exhibere solenne est.

Frank individuis labe pulmonum laborantibus sequens valdopere commendat Spongiae marinae lixivium :

Rpe. Spongiae mar. in frusta scissae

Lapillorum in ea repertorum

aa Unc. quatuor

Pilar. marin.

Unciam.

Combure in vase figul. in cine. m. Postea.

Rpe. Huius cineris

Unciam.

Coque in aquae font. libr. duabus ad reman. libr. unius. Colat. adde :

Syr. cort. Aurant.

Unciam

M. D. S. Zwey bis drey mahl täglich 2 Esslöffel voll zu nehmen.

Hausleitner simile lixivium eo ex respectu maxime svadet, quod praeter non exiguam suam efficaciam, gustum non offendat, atque sine pedisequis ab aegris ingeri possit incommodis.

Rpe. Spong. mar.

Tart. crudi

aa Unc. quatuor

Alum. crudi

Lapill. Spongiae

Corii rustici (Juchten)

aa Unc. duas

M. calcin. in vase fict. bene clauso, ut fiat pulv. niger. Sign. pulv. strum. Postea

Rpc. Pulv. strumalis

Drachm. sex

coque in suff. qu. aquae font. Colat.

Unciarum novem adde:

Aquae Cinnam. simpl.

Syr. flaved. Aurant.

M. D. S. Früh und Abend's einen Esslöffel voll zu nehmen.

Prout efficax; ita gratum quoque sequens a Hufeland usuatum porrigi meretur lixivium:

Rpc. Spong. Mar. tostae (non ustae)

Unciam

ebull. in una libra aquae font. stent

in dig. per 12 horas. Colat. Unc.

sex adde

Aquae Cinnam. simpl.

Syr. cort. Aurant.

aa Unciam.

M. D. S. Alle dritte Stunde 1 Esslöffel voll zu nehmen.

In locum aquae Cinnamomi adfundi potest aqua Menthae piperitae, vel crispae, vel Foeniculi, aut Naphae. Eadem ratione loco syrupi cort. Aurantium recte admiscetur: syrupus Florum Aurantium, vel Menthae, vel Foeniculi.

Ubi sub usu huius remedii anorexia, vomitus, dispnoea, et anxietas exsurexerint; extemplo manus ab eius retrahimus nsu. Ni hoc fiat; facile Haemoptysis, emesisque effrenae, vel Phthisis, aut marasmus, ut totidem facti erroris consecutaria, praecipiti caput extollunt gressu.

§. 29. Alterum, quo hunc formositati aequae; ac vitae perniciosum impetimus hostem, et quem non parum ferit, artis medentis praesidium Jodina est. Quae tamen, utut a Coindet, et Formey amplis efferatur encomiis; prius benigna sua efficientia non praecellit remedium. Ut quae in universi

organismi processu reproductionis, nec non animali non modo notabiliores; verum et iusto ocius, quam Spongia marina inducit, quaeque sub forma gastritidis, gastro-enteralgiae, dyspepsiae, tussis siccae, motuum febrilium, tremorum, emaciationis, postremo vero virium ad imum redactarum progerminant. Deinde aliud est, quod usui suo copulatur, incommodum, quippe: non aliter, quam manu summe provida, atque sub certis dumtaxat corporis relationibus illam adhibere valemus. Ut adeo nemo sit, qui illam statu gastrico subversante, habitui phthisico, in haemorrhagias proclivibus, macilentis, aut gravidis, quin grandes vitae temeritatis suae imprimat iniquitates porrigere auserit. Demum non alteri melius; ac pastosae seu lymphaticae, et robustae corporis constitutioni, item posteaquam Spongia marina incassum dispensabatur conducit Jodina.

Praescribitur forma Tincturae, seu solutionis spirituosae quadraginta octo illius in Uncia spiritus vini rectificati solvendo grana. Ex hac solutione exhibemur ter per diem guttas 10 (primo nempe summo mane stomacho ieiuno, dein hora decima matutina, ultimo ad vesperam) singula vice aquae saccharatae poculo dimidio admixtas. Post octo dies augetur numerus guttarum ad 15, praeterlapsis abhinc itidem octo diebus ad 20, quae dosis postea retinetur.

Quamprimum vero quaedam turbae in organismo, saturatum iam Iodina corpus annunciantes, semet insinuaverint; quantocius usum eius suspendimus. Quo executo lacte, Valeriana, opio aliisque antispasmodicis interne propinandis succurrere, neque tepida negligere convenit balnea.

§. 30. Affinitatis tandem, quae scrophulas, et strumam nter viget, ratione habita varia a variis medicis, ut struma lymphatica eradicaretur, tentata sunt antiscrophulosa. Ut fuerint, qui muriate Barytae, muriate calcareae, alii, qui antimonialibus, multi martialibus eam impugnarent. Fodere

ceteris praeponit Kali sulfuratum (Hepar Lixivae), cuius grana 30 in 2 libris aquae soluta duobus vel tribus poculis per diem absumenda exhibuit. Ab aliquibus potus aquae marinae, cum balneis maritimis, pluraque alia usitata, et multiplici elata fuere laude; quodvis tamen eorum in sananda a nobis hic pervestigata prava vitae adfectione inferiorem remediis iudicis tenere potentiae gradum plures eximiae ostendunt observationes.

### §. 31.

2. Struma aneurysmatica praesente spem in remediis sanguinis vitalitatem potenter deprimentibus praepriis, et vix non unice ponere licet. E quibus Digitalis purpurea, ut cuius scopo huic respondens vis iterata comprobata est experientia, ceteris praeeminet. Multis praeplacet Aconitum, ab aliis demum alia seliguntur indicationi huic congrua remedia. Nunquam tamen nos immemores esse iuvabit: fomenta frigida, hirudines; imo si per statum organismi non prohibeatur, ipsam venaesectionem observatumque simul strictum vitae regimen multum ad eam deminuendam opitulari.

### §. 32.

3. Quum degenerata iam fuerit struma; omnia pene interne usuata reformidat medicamina, iisque pertinacissime resistere consuevit. Quam ob rem interna a nonnullis medicis, in genere sub adversa hac rerum positione, proposita remedia exhibere praetermittemus. Beneficia namque eorum vis iterum iterumque recte institutis nondum satis confirmabatur periculis.

§. 33. Struma quacunq; demum ratione inflammatione correpta tantum abest, ut resolutionem suae inflammationis requirat; ut potius huius segnitie forsitan stipatae postulet exaltationem. Suppuratio postmodum, ubi sponte comparere detrectaverit, arte invitanda; enim vero ferme



nunquam non succedit hoc pacto sub recto vivendi regimine, et rationali medela strumam extirpare. Abscessum postmodum efformatum aperire, suppurationem vero lente progredientem irritantibus; nimis vero largam secretionem profusas cohibentibus uti: opio, saturninis, sulfati ferri iuncto etc. rectis coercere opus erit limitibus. Attamen, si inflammatio vehementior feroci pede partes vicinas invadere propenderet, aut illas iamprehendisset, non quidem resolvenda; sed intra moderatum eam adparatu antiphlogistico reducere tramitem nunquam non proderit.

§. 34. Si autem, quod haud raro obvenit, glandula thyroidea ab omni ceteroquin indole strumosa diversa inflammatur, exoptante eius intensitate, et virium organismi conditione non renitente phlebotomiam, hac vero per dicta momenta denegatam topicam sanguinis ope hirudinum utrinque pone glandulam thyroideam adfigendarum suscipimus depletionem. Non absque fructu etiam fomenta frigida in subsidium trahuntur. Interne vero antiphlogistica: emollientia, salina, derivantia, ut Nitrum, Calomelam, Cremorem Tartari, arcanum duplicatum, clysmata emoll. etc. adhibemus. Ubi inflammationem metastaticam, vel criticam adesse invenerimus, aut quaecunque alia sui resolutionem iam non concederet; suppurationem cataplasmatibus emollientibus, praesente torpore irritantibus promovere vires impendimus. Pus denique ex formato abscessu si non per naturam ipsam effundatur, arte eliminandum.

## II. Remedia externe usitata.

§. 35. Impositio manuum. Innumeris constat fide dignis relationibus regibus imprimis Angliae, et Galliae olim insitam fuisse potestatem, strumas, scrophulasque per contactum manibus suis peractum sanandi. Aevo nostro haec curandi ratio utroque in regno iam evluit; quia, si fides sit relatio-

nibus, prudentibus nisi risum concitavit, atque ab ipsa contemnebatur plebe. Mead \*) credit, observationem, qua constat, strumas per ingruentem pubertatem aboliri, quandoque et eas a suppressione evacuationum habitualium praeprimis catamenialium provocatas, ubi illae rediverint evanescere, occasionem regiae huic doti et arti praeuisse. Aliqui quoque contendunt aegros ipsos ab aulicis medicis prius investigatos, eosque remissos fuisse, quorum struma eius erat indolis, ut aera inpositione manuum, aut usu contemporaneo remedium pharmaceuticorum sui remotionem non polliceretur. Wiesemann quoque meminit: se ulcera scrophulosa resolventi prius obduxisse emplastro, et ita aegrum pro impositione manuum praeparatum huic praeposuisse.

Huiusmodi strumis, aliisque aegritudinibus medendi modum eminenter in antiquo testamento; sed haud minus in novo quoque a Regibus, Patriarchis, et diversis religionis, ac populi Antistitibus usurpatum fuisse plura probant documenta. Saeculo quinto post Christum natum eundem adhuc in usu fuisse confirmant historiae ecclesiasticae Eusebii Pamphili. Quo tempore impositionem manuum adnexa simul quadam precum formula proficua sua efficacia excelluisse. Ab hinc pedetentim maiorem, ac maiorem patiebatur de sua vi benigna iacturam, donec omni spoliata disparuisset. Eapropter hodieum similia; ad minus in multis terrae, virtute videlicet illa iam carentibus, locis facere tentamina inconsultum foret; quia magna cum probabilitate omnis huius generis artis medentis spes egregie frustraretur, si quis tale animo conceptum praesumeret experimentum.

§. 36. D. Moslen in sua de curis superstitiosis dissertatione sic innuit: „de his, et similibus sub certa tantum rerum constellatione possibilibus, et saepe exitu secundo olim

---

\*) Monita, et praecepta medica. Cap. de strumis.

coronatis curis nil dubitabit, nec plus mirabitur is, qui quantum potentiae fidei invictae sit noverit; cuius intellectum mutuo, et intimo, animae in corpus, huius item in illam influxu admiranda saepe in ambobus proferri phaenomena non latuerit; quive omnes, qui simultanee ad huiusce curas perficiendas modo naturales, modo factitii, externi e natura externa, et interni ex parte organismi vi medicatrice contulere, influxus sibi notos reddiderit; quem igitur, et omnia tum prophylacticae, tum radicalis curae adminicula, ut morbus pulsaretur, usurpata non fugerint.“

D. Mühlbach asserit: principem omnium agentium in hac methodo strumam profligandi electricitatem animale constitutere, ut a cuius turbato in glandula thyreoidea vigente processu struma procreverit. Electricitatem videlicet in organis via hac medendi in contactum positis quoad licet aequilibrium consequi, quo facto fluidum electricum e sphaera vegetativa massae irregularis, nimirum strumae, in illam organico - animalis influere, et in hac mutatione proportionis electrici niti strumae sublationem. Nullum certe patitur dubium electricitatem animale non levidensem interdum inducere in variis dynamicis adfectionibus mutationem. Interim eandem in organicis praesertim altius evolutis talem ponere mutationem, ut hac organisatio ad normalem reduceretur conditionem, nedum evictum habemus. Unde nil aliud credendum restare videtur, ac electricitate animalis eas solummodo tolli potuisse strumas, quae tempore pubertatis, aut redeunte fluxu habituali ipso evolutionis, atque naturae autocratiae processu regredi cogebantur. Tales quoque verosimiliter fuisse a Wolfartio solo magnetismo animali sublatas strumas, veritati non obsonat.

§. 37. Arte conducta, praecipue, quam columna Woltana spargit, electricitas sufferendae huic malignae adfectioni etiam quidpiam opitulari dicitur. Affirmante Titt-

manno \*) post decimam huius remedii adplicationem strumam eousque demolitam fuisse, ut exigua tantummodo eius remanserit portio.

Sub huius remedii subministratione polo negativo columnae; positivo e contra ossi sacro, vel nuchae, aut processui xyphoideo admoto tumor ipse circulo fluxus electrici includitur.

Svadetur autem a Mühlbach eo in casu, quando strumam a subito intercepto in glandula thyreoidea processu electrico enasci contigerit, quod nonnullarum admodum frigidarum montanarum aquarum usum excipere solet. Sed licet arte conducta electricitas magnam nonnunquam in morbis dynamicis largiatur opem; eandem tamen aequae in organicis suppeditare, experientia notum non habemus.

§. 38. Commodum vulgariter concedunt usum Frictiones cum pannis laneis siccis puris, aut, quod melius aromaticis permeatis effluviis. Non minus fructuosa evadunt collaria e gossypio, vel lana parata mera, sive vaporibus aromaticis imbuta. Utilius adhuc usurpantur *inunctiones* cum liquore Ammoniae causticae diluto, linimento ammoniato — camphorato, oleis aethereis, solutione concentrata salis communis; vel cum aggregato e sapone antimoniali, Assa foetida, extracto Cicutae, et Calomela in unum coadunatis constante; aut cum Petroleo, et tinctura Cantharidum. Votis imprimis satisfit unguento Hydrargyri cinereo solo, vel cum tinctura Cantharidum, sive oleo Dippelii combinato. \*\*) Asseverante Osiander \*\*\*) struma voluminis notabilis sporadica, verosimiliter per suppressum capitis exanthema, vel sponte ante sui resolutionem evanidum enata plurimaque reformidans medicamenta,

\*) In Martens vollständige Anweisung z. therap. Anwend. des Galvanismus. Leipzig u. Weissenhof 1803. S. 290.

\*\*) Hamilton's Beobacht. über die Scrophelkrankh. aus dem Englischen S. 107.

\*\*\*) Osiander's neue Denkwürd. B. 2 S. 278.

ultimo unguento ex Uncia semis liquoris Ammoniae causticae, Drachmis duabus tincturae Cantharidum, Uncia una, et Drachmis duabus spiritus camphorati, atque media Drachma extracti Hyoscyami constante, exhibita una interne Digitali purpurea cum Camphora, ex toto succubuit. Indiani strumam depellere referuntur, dum eandem menstruantis puellae saliva saepius humectavissent, ustarumque concharum pulvere conspersissent \*)

§. 39. Recentissimis lustris frequentissime, nec sine prolixo fructu, adhibetur unguentum, e Kali hydriiodico octo partibus adipis suilli remixto compositum, bis terve per diem ad magnitudinem nucis avellanae tumori inungendum. Inunctio per quatuor usque sex hebdomades, adnexo interno Jodicorum usu, non interrumpitur Etiam Jodinam in unguento, aut solutione externe tumori adplicare aliquibus commune est. Eadem ratione adhiberi potest Unguentum, e Natri hydriiodici Drachma semis, adipisque suilli Uncia semis compositum.

Quotiescunque autem, et quibuscunque externe strumam adorimur Jodiceis, nunquam non serie reminisci oportet, et hic non alia, quam cauta cum iis mercandum manu, quae nimirum sicuti per atrium cutaneum internum; ita externum quoque in corporis suscipiuntur penetralia.

§. 40. Est, ubi sub usu modo laudatorum pharmacorum tumor rubere, dolere, tendique inchoat. Quo eveniente statim ea subtrahimus, moxque ad hirudines, ac emollientia confugimus cataplasmata, quibus molestas lenire conamur adfectiones.

Mühlbach monet: emplastra perinde; ac irritantia unguenta inflammationem ciendo, per hanc vero luxuriantem

---

\*) Alber's amerik. Annal. der Arzneyk. II 1 Bremen. 1802. 8. 22

vegetationem exaltando pabulum potius, quam medicamentum tumoris efficere. Quare leniora plus emolumenti adferre persvasus, emollientia, et solventia, eminenter autem alcalino — salina, ut: limum thermarum muriam continentium, aut huic analogae arte praeparata cataplasmata congruo temperaturae gradui iuncta adplicanda commendavit. Et probe, ut cuilibet patefit, minus cautos munito suo attentos facit; enim vero emplastris, unguentisque persaepe quemadmodum mole; sic et qualitate, ubi morbi naturae aliisque, iis non adaequatis, sub circumstantiis in subsidium vocata fuissent, magnae inferuntur strages. Certe sinistre, inque perniciem strumatici foret strumae scirrhosae, vel inflammatae, aut aneurysmaticae acria obmovere emplastra, unguentaque. Ast providus non minus, ac scientiae, et artis suae sibi conscius medicus, eadem pro re nata adhibere non verebitur, in cuius manu nunquam deleterium impertient effectum.

§. 41. Pressio externa aequabilis, una moderata ope concavi compressorii tumorem cingentis exercita, quod e ligno, vel aurichalco fabrefactum, pulvilloque pilis, aut aliis elasticis materiis farcto obductum collo thoracique firmatur, a G. A. Richter strumae recenti, molli maxime, quando haec praegressa adstrictione, et tensione partium validiore compaeruit, item aneurysmaticae opponenda svadetur. Quae tantum abest, ut iuxta quorundam mentem obsit; ut imo tonum vasis addendo resorptionemque expediendo prosit, si videlicet ita rite, et accurate ad finem deducatur, quo deglutitio, respiratio, circulusque humorum non intercipientur, neque struma cum propingvis concreseat organis. Tantum tamen iuvare nequit, ut strumam amoveret.

Duram, ponderosamque campanulae adinstar pendulam suspensorio suffulcire convenit strumam, ne suos amplius tensione extendat limites, ac ut inamoenitatem onusque dependendo augere desinat.

§. 42. Quae frigida, praecipue vero una adstringentia sunt fomenta, uti: aqua glacialis, aut vulgaris cum Nitro, sale ammoniaco, melius adhuc Alumine, vel Sulfate ferri, Acetate plumbi (sed caute eo propter sui resorptionem utendum) saturata, sive decoctum corticum radicumque adstringentium frigidum strumam quemadmodum emphysematicam (ubi videlicet emphysema strumam simularet); ita aneurysmaticam multum in sua evolutione detinent, plane haud raro regerunt.

§. 43. Sicubi vero paulo ante praefata remedia omnem artis medentis eluserint conatum; chirurgicum, seu manuale opus erit invocare praesidium. Ex auxiliis vero sphaera chirurgica, seu manuali, comprehensis quaequam maius nunc, minus alias certis sub adiunctis nobis tribuunt emolumentum, nec nunquam ultimam salutis praebent ancoram. Quare nostram omnino sibi vindicant attentionem, id autem eo fortius valebunt, quo magis de sui necessitate, et quae gignunt commodis, nos convicerint. Itaque mei quoque interesse arbitrabar, eadem, quae hic sequuntur, non praeterire, et, quacunque potui ratione, breviter exponere.

§. 44. Deligatio arteriae thyreoideae superioris, vel ubi fieri potest, etiam inferioris primo a Walthero \*) successu optimo peracta, et commendata est. Cujus secundus eventus, quo fatigia Waltheri, aliorumque iteratis praemiabantur vicibus, sequentibus modo sub conditionibus praestolari potest, nec secus ipsa suscipienda venit operatio:

I. Si arteriae thyreoideae superioris vibratio inter marginem superiorem glandulae thyreoideae, et angulum maxillae

---

\*) Neue Heilart des Kropfes durch die Unterbindung der obern Schilddrüsenschlagadern Sulzbach. 1817. S. 23—27.

inferioris tactu animadverti, eiusque decursus determinari valeat.

2. Praesente laudabili individui constitutione.

3. Dum vita per strumae seu volumen, seu duritiem aut, qua extenditur, infaustam directionem in statu discriminis pleno versatur, qui quolibet alio modo promptius removeri nequit.

4. Contradicata strumae extirpatione.

5. Struma pharmaca benefica vi insignia repudiante.

6. Exclusive propemodum praesente struma aneurysmatica, ab enormi quippe vasorum ampliacione procedente.

Operationem hanc praecipue interdicitur:

1. Struma ex universali progerminans aneurysmatica diathesi.

2. Quaecunque in nexu causali cum vitiis organicis cordis, maioribusque vasorum truncis existit.

Optume autem perficitur haec deligatio in triangulari spatio ad latus Laryngis sito, atque musculis omohyoideo, sternocleidomastoideo, digastrico limitato. Facta nempe cutis in loco pulsum arteriae thyreoideae manifestante incisione, situque dein arteriae eiusdem ope digiti auricularis explorato, arteriam tegens tela cellulosa specillo sulcato, cultelloque recto separanda, postea arteria thyreoidea scalpelli manubrio aut specillo obtuso (ne arteria, partesque propinquaе violentur) isolata acu Deschampii, aut aneurysmatica filum ducente constringitur. Omne sangvinem vibrans vas extemplo deligandum. Filorum deinde cujuslibet ligaturae extremo altero proxime ad locum constrictum vasorum abscisso, aliud e vulnere protractum cuti externae ad vulneris latus adhaesivo agglutinatur emplastro. Posthaec vulnus ipsum, marginibus eius emplastro adhaesivo unitis, lintei que carpti fasciculis Plumasseau dictis, et compressa obtectis, fascia circulari, seu volubili



circumdatur. Reliquum vulneris tractamen dependet a generalibus curam vulnerum dirigentibus principiis.

Laeto sine operationi imposito incrementum strumae retinetur; imo vero, quod crebrius fit, volumen eius in arctiores, marcescente sua substantia, reprimitur limites.

Walther etiam arteriam Carotidem illius lateris secunde deligavit, in quo struma maxime tumebat. Quod ille suscipit, ut primum immodicum aneurysmatis volumen obicem posuerit; quominus arteriam thyreoideam superiorem pertingere possit Manipulatio haec tamen, ut valde periculosa, non alias, ac in summo nullo alio opere removendo vitae discrimine, ipsa quoque extirpatione denegata instituenda esse videtur.

#### §. 45. Incisio strumae utiliter institui solet:

1. Cum struma cysticos in sinu suo fovere ~~it~~ tumores. Quae idem quoque, uti hi, requirit, cultri adminiculo peragendum tractamen.

2. Si puris quacunq;ue strumae accedente inflammatione generati acervationem fluctuatio evicerit.

3. Aquoso vel albuminoso interstitia strumae farciente liquido, atque non secus interna; ac externa pharmaceutica renuens remedia.

Remanens postea adhuc strumae, ab accumulata sua materia incisione liberatae, durities emollientia ad sui resolutionem poscit cataplasmata, vel fomenta, aut unguenta. Praesente nonnisi vitalitatis torpore carpto unguentisque irritantibus illito linteo strumae sinum implemus.

Ac ideo dictae circumstantiae incisionem nunquam renuunt, quod multiplex testetur observatio, strumas sic constitutas quandoque casu fortuito, vel studio pertusas, sive incisas taliterque a suo contento depletas laete exaruisse, ac cicatrissavisse.

§. 46. Quidam postquam inventum fuisset : strumas chronicas suppuratione interdum, in<sup>a</sup> quam suapte, aut post violentiam quandam iniuicam inflammatae transivere, ex toto resolvi animati sobrii medici, illas suppuratione arte provocata delere semet impendebant. Nec insane; enimvero longe plurimum operae coërcita sua nequitate victas tumores hi praebuere manus, ac autumare licuerit.

Igitur suppuratio arte prolicienda. Duplici haec obtinetur via:

### 1. Causticis. His utimur:

a) Ubi suppurationis processus in tumore strumatico sub forma frigidi abscessus incedit, cuius parietes inflammationem desiderant.

b) Rarissime saltem in struma hydatidibus repleta, si indoles haec indagatione solerti evidens fieret.

In cunctis ceteris strumae conditionibus nil boni pollicentur, in quibus nimirum, quin gravia adiacentibus organis inferantur damna, adhiberi nequeunt. Namque non desunt casus, ubi post incautum eorum usum inflammatio in tracheam, ipsosque pulmones extensa, nec ubi ulcera profunde lateque saevientia, suppuratio profusa, ipsa quoque Gangraena, et Sphacelus effectu lethali tristem clausere scenam, vel saltem cicatrices abominandae, deformitates struma haud minores remansere.

2. Setaceo. Huius adminiculo nituntur medici erga praegrandem chronicam quocunque modo inflammata, et in suppurationem conversam strumam, si in ea suppuratio lentissime processorit. Optime vero convenit setaceum strumae lymphaticae molli, et fluctuanti; minime vero degenerationi stea-

tomaticae, vel fungosae, aut sarcomaticae, sive scirrhosae, quas omni tempore in deterius vertere non deficit.

Non defuere quoque, qui strumam paulo ante praefato modo conformatam setaceo perforantes, eamque hac ratione inflammando, et in suppurationem convertendo, cuius ope illa consumebatur, demolivisse referunt. Ita D. Chr. Klein \*) operationem hanc septies exitu prospero perfecit, alii quoque eam dextre terminarunt. Ubi vero setaceo uti praeplicuerit, illud parti infimae strumae insigere oportebit. Nihilominus tamen usum eius arctis restringere iuvat cancellis, cum illò plerumque pars strumae setaceo proxima solum resolvatur; in pluribus vero defixa locis non leves parit turbas, quarum trismum, singultum molestum, tortores colli dolores; imo quod omnium pessimum tetanum, quem Hedenus intra septemdecim horas morte terminatum una vice animadvertit, commemorare sufficiat.

§. 47. Ligatura basim strumae constringens admodum raro, nec alias, nisi struma valde tenui insidente stylo adplicari potuit. Et quidem, vel simpliciter tantum unico filo tota strumae constringebatur basis, aut duplici, per medium baseos trajecto filo, utrinque medietas baseos in arctam redigebatur fascem. Nonnulli insuper accelerandae curae gratia tumorem ante ligaturam resecuere.

§. 48. Extirpationi in statu solummodo conclamato semet accingere licet. Videlicet:

1. Ubi, quaecunque demum sit, struma, nec ipsa aneurysmatica excepta deglutitionem, respirationem, sanguinis-

---

\*) Sammlung seltener, und auserlesener chir. Abh. u. Erfahr. deutscher Aerzte. und Wundärzte. Herausgegeben v. Dr. J. Bartel, v. Siebold. Rudolfstadt 1807.

que in caput adfluxum, et eius inde refluxum sensim impediens leto inexorabili minitaverit.

2. Cum degeneratio scirrhusa, aut huius iam in cancerum factus transitus manifeste elucescat.

3. Si cunctis pharmaceuticis interne iuxta; ac externe usurpatis remediis pertinacissime refragetur.

4. Struma non grandi instructa volumine, mobili, in sua limitata circumferentia, vel tenui adfixa basi.

5. Ultimo tandem nec ipso aegro extirpationem recusante.

Disvadent autem extirpationem: struma in vicina organa diffusa (seu illius cum proximis organis extensa concretio); hinc basi sua parum mobilis, obviae item in reliquis corporis partibus indurationes scirrhosae.

Et profecto leguntur nonnulla exempla operationis hujus fortuna secunda institutae. Thedenus senior \*) asserit se sex vicibus extirpationem strumae exitu fausto perfecisse. Similiter Graefe, Desault, Vogel aliique idem praestitere; \*\*) attamen ex adverso quoque adferuntur sinistri extirpationum exitus, ubi aeger sub ipsa operatione, crebrius post eam leti evasit victima.

Sunt etiam, quae nec semper evitari queunt, gravis ponderis momenta, vitam sub operatione hac plurimum periclitantia, operationem maxime arduam reddentia, dubiumque semper praedicentia operationis eventum, utpote: Haemorrhagiae immoderatae tam ex ipsius strumae, quam adiacentium partium vasis, quae sub hac tumoris conditione altius evoluta potiuntur varicositate, prorumpentes, neque facile sistendae; dein partes ipsae propingvae: Nervi momentosi signanter

\*) Von Graefes, und von Walthers Journal für Chirurgie, und Augenheilk. B. 2. S. 237 — 257.

\*\*) Schreger's Grundriss chirurgisch. operat. II. S. 262.

n. Vagus, arteriae Carotides, Thyreoidae, venae Jugulares, Trachea, Larynx, Oesophagus, praesertim ubi strumae adcrevis-  
sent; tunc enim citissime violantur. Facile quoque post, dex-  
terime quantumvis, terminatam operationem vocis iactura,  
vel saltem rauco insanae remanent.

Minime tamen in arte versatus operator dextris huius  
operationis exitibus iterum iterumque subsecutis, igitur pos-  
sibilitate boni eventus evicta animatus, ab extirpatione de-  
terrebitur, neque ultimum hoc salutis intactum relinquet  
praesidium; quin imo animum aegri erigendo omni virium inten-  
tione eam, quantum possibilis, eximie peragere conabitur,  
ubi maligna strumae indoles charae homini vitae certum mi-  
naretur exitium.

§. 49. Ipsa vero extirpatio sequenti peragitur modo:  
Collo aegri iacentis extenso, eiusque capite a ministro fixato,  
operator cutim in medio tumoris directione perpendiculari, ac  
iusta in longitudine inscindit, praesente autem grandi tumo-  
ris volumine, duas supra, et infra confluentes facit incisio-  
nes. Postea tumorem hamulo prehensum, ac iuste adtractum  
a suo cum cuti proximisque partibus nexu plus digito scalpel-  
lique manubrio, quam acie (ne vicina violentur organa) un-  
dique solvit. Simul quoque sub hoc opere vasa sanguinem spar-  
gentia, maiora vero praecipue art. thyreoidae superior infe-  
riorque, antequam transecantur, a ministro deligantur. Quo  
peracto, basis tumoris, si cartilagini cricoideae, tracheaeque fir-  
miter adhaereret, vasaque copiosa subsequa sanguinis pro-  
fusione periculosam cultro perficiendam redderent baseos so-  
lutionem, filo tenaci polypi adinstar ab operatore contrahitur.

Ubi haec expedirentur, vulneris ita adoptanda nunc erit  
deligatio, ut ora vulneris quam citissime conglutinentur coo-  
lescantque. In hunc finem vulnere iam depurato filisque li-  
gaturarum in vulnere, latere cuti externae emplastro adhaesi-

vo adglutinatis, margines vulneris sibi adproximare, ac dein duabus tribusve aut quatuor pluribusque (exoptante vulneris longitudine) fibulis, hisque interiecto emplastro adhaesivo in mutuo servare conveniet contactu. Non tamen semper totum vulnus adhaesiva reunire succedit inflammatione. Quod nec moliri licebit, si basis tumoris adcreta filo coarctari debuit. Hoc in casu vulnus partialiter tantum sutura contrahitur; cetera vero pars suppuratorium optans processum linteo carpto molli expletur, ac demum totum vulnus ope Plumaceau, atque compressae obtectum circulari involvitur fascia. Subsequas postea turbas debita impetimus cura.



---

## Auctores de struma tractantes.

- B. S. Barton, a memoir concerning the goitre, as it prevails in different parts of North - America. Philadelphia. 1800.
- K. J. Beck, über den Kropf, ein Beitrag zur Pathologie, und Therapie desselben. Freiberg. 1733.
- Franc. Bene, elementa medicinae practicae per Franc. iuniorum edita. Pestini 1834. Tom. 4. Pag. 103—113.
- Brod belt, Dissert. de bronchocele. Edinburgi. 1794.
- Brunier, considerations générales sur les goitres endémiques. Paris. 1804.
- J. Brun n, Disser. sur les goitres. Paris 1815.
- Burn's, chirurgische Anatomie -des Kropfes und Halses. Aus dem Englischen mit Anmerkungen von Dohlhoff. Halle 1821. S. 174.
- Conradi, commentatio de Cynanche thyreoidea, et struma inflammatoria. Göttingae 1824.
- Copeland Guthison, Cases of bronchocele, treated by section, in: medico chirurgical transactions. Vol. XI. P. II.
- Fodéré, essai sur les goitres et les cretinages. Turin. 1792.

- J. Frank, Epitome liber IV, pars II. p. 83.
- J. Frank, Praxis medicae universae praecepta, Pars II. Vol. II. S. I. p. 222.
- J. Gautieri, tractatus de struma Tyrolensium Carinthiorum, Styriorumque. Vindobonae. 1791.
- Haase, Diss. de struma, eamque sanandi methodo. Helmstädt. 1796.
- Haller, De strumis, in: opuscula pathologica p. 16.
- A. Humboldt, observations sur quelques phénomènes peu connus qu'offre le goitre sur le tropiques, dans les plaines, et sur le plateau des Andes. Paris 1824.
- Hüppeden, Diss. sistens adnadmersiones de affectibus inflammatoriis glandulae thyreoideae. Heidelbergae 1823.
- Jacquier, Diss. sur les goitres. Paris 1813.
- A. E. Iphofen, Der Cretinismus philos. und medic. untersucht. 2. Th. Dresden 1817.
- F. C. K. Kriegelstein, Die Kunst die Krankheiten der Schilddrüse, und den Kropf zu heilen. Gotha 1827.
- Laurent, Diss. de strumis, Argentorati 1791.
- Lütheritz, Anleitung Kröpfe, und dicke Häse nach ihren verschiedenen Ursachen zu unterscheiden, zu verhüten und zu beseitigen 1833.
- Maass, Dissertatio de glandula thyreoidea tam sana, quam morbosa, imprimis strumosa. Wirceburgi 1810.
- Von Meerten, Dissert. de morbo strumoso, Lugdun. Batavo. 1788.
- Mühlbach, der Kropf nach seinen Ursachen, und Heilung. Wien. 1822.



**Walentin**, Diss. de struma bronchócele dicta. Naney 1787.

**Weissflog**, animadversiones de struma aneurysmatica et de arteriis thyreoideis superioribus ligandis. Heidelbergae 1823.

**Vest**, vorläufige Charakteristik einer in den Wässern, welche den Kroph, und den Cretinismus erzeugen, in Verbindung mit Kieselerde vorkommender Substanz (medic. chirurgische Zeitung von Ehrhart. 1831. Bd. II. S. 337

**T. White**, on struma. Lond. 1784. Aus dem Englischen unter den Titel: Uiber Skrofeln und Kröpfe, nebst einem Anhange. Offenbach. 1784.

**Zartmann**, Diss. de strumae exstirpatione. Bonn. 1829.



# **T H E S E S**

## **DEFENDENDAE.**

1. **S**aeculis futuris clarius evolvendae mixtionis organicae  
ideae, clariorem reddent morborum naturam.
2. In morbis infantum saepe nutrix ante omnia pervestiganda  
venit.
3. Matres sanae suo suum infanti lac denegantes non secus;  
ac lactantes labi sui corporis, infanti facile imprimendae  
obnoxiae graviter sacras humanitatis violant leges.
4. Morbi nationales e nationalibus promanant moribus.
5. Quo plus artificiosa vivit gens ratione, eo maiori morbo-  
rum premitur agmine.
6. Progrediente gentium cultura medicorum non potest non in-  
crescere necessitas.

7. Cum Medicinam a Chirurgia nullus rationalis, strictusque separet limes; illam huic iungere oportet.
8. Agyrtae, circumforanei, ac vetulae unguentariae rectis morborum aequae; ut pharmacorum destituuntur notionibus.
9. Idcirco nulla fundata experientia, nec ullo recto fulciti ratiocinio coeco vitam aegrorum subiiciunt tentamini.
10. Hinc etiam succedens interdum morbi sub eorum pseudo-mendi ratione disparitio non fundatae eorum medicae scientiae, qua penitus carent; verum adiunctorum variorum concursui, corelationique fortuitis adscribenda.
11. Patet quoque, coecam eorum, et periculo plenam curandi methodum nullam prorsus mereri confidentiam, neminemque rationalium sine gravi metu suam illis committere posse vitam.
12. Nullum praeter universalem corporis putredinem certum datur mortis signum.
13. Trepanatio raro salutare nanciscitur pedisequos effectus.
27. Lithonriptia lithotomiae hucdum anteferri non potest.
15. Luce psychologica destitutus non est veri nominis medicus.
16. Non aetate, sed iudicio metiendus venit medicus.

18. Eventus coremorphoseos summe semper anceps est.
17. Directio sectionis semilunaris corneae deorsum versus sub extractione Cataractae, illi superiora versus merito praefertur.
19. Profluvium alvi iis coërcetur remediis, quibus augetur perspiratio.
20. Absentia sitis in febris inflammatoriis nervosum praenunciat characterem.
21. Acarus pro effectu, non autem causa Psorae habendus.
22. Morphio absque detrimento carere possumus.
23. Ars medica cum omnibus suis medico-politicis coordinationibus generi humano semper non tantum utilis; verum summe quoque erat, est, ac erit necessaria.
24. Struma, cretinismus, febris intermittens, et dysenteria plurium Hungariae regionum non secus endemici; ac febris gastrica, biliosa, cancer labii, variaque ulcera endemico-nationales sunt febritudines.
25. Irrequieta meditatio infensissimus sanitatis hostis.
-

100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200